ARTIS OBSTETRICIAE

SORANI EPHESII

DOCTRINA

AD EJUS LIBRUM „περὶ γυναικείων παθῶν" NUPER REPERTUM EXPOSITA.

COMMENTATIO

HISTORICO-OBSTETRICIA

AUCTORE

Dr. J. Pinoff.

VRATISLAVIAE,
TYPIS M. FRIEDLAENDERI.

MDCCCXLI.

PRAEFATIO.

Ex illo jam tempore, quo disciplinis necessariis instructus ad ipsam artem medendi accessi, maxime rei obstetriciae studio delectatus summa qua potui diligentia in eam incubui. Quum igitur hanc artem praestantissimo praeceptore adjutus accuratius mihi cognoscere contigisset, visum mihi est inquirere, qui ejusdem artis apud veteres fuerit status, quique factum sit, ut temporum decursu ars nostra ad hanc, qua nunc floret, perfectionem sit evecta. Nemo tamen erit, quem fugiat, nullam fere artis medicinae partem tam occultam temporumque injuria tam mancam esse et laceratam, quam artem obstetriciam veterum. Eorum enim, qui artis laude maxime floruere, nihil fere nisi nomina atque paucissima tantum operum fragmenta ad nostram manserunt memoriam. Sed ecce nova et paene insperata lux nobis est orta, invento a divo Dietzio[1]) Sorani Ephesii[2]) opere „περὶ γυ-

---

1) De vita Dietzii vid. praefationem Lobeckii ad Soranum.

2) De Sorano Ephesio jun. conf. Fabricii Biblioth. Graec. Tom. XII. p. 684.

Le Clerc, Histoire de la Medecine. Amsterdam 1702. pag. 155 et seq.

Kurt Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. Halle 1823. Th. II. p. 48 et seq.

J. Fr. Carl Hecker, Geschichte der Heilkunde. Band I. p. 425, 26, 27 etc. Berlin 1822.

ναικείων παθῶν" [1]). Qui quidem vir summus quum jam antea clarissimus artisque nostrae peritissimus vel ex paucissimis illis, quae passim apud veteres legebantur, haberetur, hoc tamen libello non solum illa laude dignissimum, sed etiam omnium veterum principem artisque quasi auctorem statuendum esse apparet. Nihil igitur mihi, dissertationem inauguralem conscripturo, gratius potuit contingere, quam ut experientissimus Dr. Davidson qua est in me benevolentia ipsum hunc librum ad nova, quae insint, perscrutanda atque pro viribus illustranda mihi commendaret. Quae vero et cujusmodi sint, spero te L. B. ex hac dissertatiuncula mea esse perspecturum. Jam vero quum majorem operis partem confecissem, clarissimi Prof. Haeseri programma „de Sorano Ephesio etc." acceptum paene a consilio suscepto me deterruit. Quod vero quum accuratius perlegissem, haud inveni, cur quae jam inceperam, proprio Marte non continuarem atque absolverem. Proponuntur vero in hac mea dissertatione haec sola, quae a Sorano de arte obstetricia tractantur, omnibus aliis omissis, quae et apud Aetium leguntur. Quo autem clarius summa Sorani nostri prae reliquis omnibus veteribus obstetricantibus cognoscantur merita, non a re esse duxi, cuique capiti gravioris argumenti commentationem historicam adjicere. Haud sine labore et assiduitate hanc rem me pertractasse ipse confiteor; quid autem sit, quod profecerim, aliorum sit judicium.

---

1) Duo sunt Codices Soraniani, alter Parisiensis (2153, chartaceus, forma quart. saeculi XV. inde a fol. 218), alter Romanus, Barberinus (359, chartaceus, forma octava, sec. XVI.) mendosus.

ELENCHUS CAPITUM.

„Dignum laude virum Musa vetat mori,
Coelo Musa beat.“

CAPUT I. *Qualis esse debeat obstetrix.* 1)

Enumerantur a Sorano obstetricis qualitates et physicae et psychicae. Physicas esse vult bonam robustam-

1. Antiquissimis jam temporibus feminis negotium obstetricium commissum esse aut partus dolores vehementiores situ commodo aliisque remediis sublevandi et imminuendi, aut foetum ex matris sinu excipiendi ejusque funiculum umbilicalem dissecandi, aut denique munditiei infantis curam suscipiendi, ex iis quae de prisci aevi populis relata legimus, facile apparet. Jam Hebraeos a) primam gentem fuisse, apud quos feminarum obstetricium auxilia essent adhibita, scripturae sacrae loci b); ubi in exodo c) Siphra et Pua imprimis laudantur obstetrices, docent. De Aegyptiorum, Graecorum et Romanorum re obstetr. vetustissima nihil aliud fere constat, nisi quae in horum mythologia de more parturientium, deas tanquam partus praesides implorandi, inveniuntur. Apud Aegyptios Isis ut dea praecipua misericors — (conf. Ed. v. Siebold. hist. art. obstetr. p. 47 et 48.), a Graecis Ei-

a) G. F. Gudius, resp. Wendt. Diss. de Ebraica obstetricum origine, quae exod. cap. I. v. 15. commemoratur. Lips. 1724. 4.

Gust. Maurit. Redslob, Comment. de Hebraeis obstetricantibus. Lips. 1825. 4.

F. G. Danz, de arte obstetr. Aegyptiorum. Progr. Giessen 1791. 4.

b) Genesis. cap. 35. v. 17 et 18. — Cap. 38. v. 28 et 29. — Samuel 1. cap. 4. v. 20.

c) Exodus. cap. 1. v. 15 et seq.

que corporis constitutionem, membrorum firmitatem, digitos praesertim et longos et teneros unguibus resectis;

leithyia, Artemis, Here, deaeque Genetyllides (conf. Ed. v. Siebold. p. 559—60 usque); a Romanis dea Lucina, Juno vel Juno Lucina, Prosa vel Prorsa, Porrima, Postverta, Egeria et Dii nixii [a]) a parturientibus in auxilium vocabantur. (conf. Ed. v. Sieb. p.125—28.). Nec vero tantum deas, quae rei obstetriciae praesidere putabantur, maxime cultas et observatas, sed etiam feminas hanc artem profitentes summo in honore fuisse, inde fortasse conjicias, quod multas earum honesto ortas invenimus loco. Plinius in libr. de hist. nat. p. 455 de „nobilitate obstetricum" disserit, Plato [b]), Socratem se υἱὸν μαίας μάλα γενναίας τε καὶ βλοσυρᾶς Φαιναρέτης εἶναι, filium esse obstetricis generosae gravisque Phaenaretae ipsum profitentem dicit. Nec vero modo parturientibus auxilium ferebant illae feminae, sed nuptias etiam conciliabant, ut ex Platon. a. l. p. 191. elucet: „legitimis obstetricibus solis convenit recte mares feminasque jugare." Mox vero morbos curare et medicamina illicita porrigere conabantur [c]). Sic Salpen medicamina contra oculorum morbos, hydrophobiam, febrem intermittentem etc. porrexisse ex Plin. hist. nat. p. 591 comperimus. Medicamina sterilitatem efficientia Aspasiam adhibuisse apud Aëtium legimus [d]): „si mulier ad gignendum foetum inepta per negligentiam conceperit, primum usque ad trigesimum diem contraria fiant his, quae supra de cura praegnantibus adhibenda diximus, ita ut vehementissimis motibus uti jubeatur et ut saliat, ac gravissima onera levet etc." — Abortiva offerebat Olympias Thebana, conf. Plin. ed. Harduin. Paris 1741. fol. Lib. XXVIII. c. XIX. Tom. II. p. 484 et 85. p. 222 et 455. — Item Elephan-

a) „Dii nixii appellantur tria signa in capitolio ante sellam Minervae genibus nixa, velut praesidentes parientium nixibus." Festus in Meursii syntagmate de puerperio cap. 1.

b) Platon. Theaetet. ed. J. Becker. Berol. 1817. 8. p. 2. Vol. I. p. 189 et seq. —

c) „Quin etiam medelis et incantationibus obstetrices excitare mollireve partus vexationes valent et aegre parturientibus opitulari foetusque educere etc." Platon. Theaetet. p. 190. ed. Bekker.

d) Aëtii Tetrabibl. IV. Serm. IV. Cap. XVIII. Foetum corrumpentia. Ex Aspasia. Basil. 1542. fol. —

psychicas autem artem literas bene pingendi, sagacitatem, memoriam tenacem, diligentiam, mores denique probos.

---

tis ac Lais a Plinio nominantur: „quae Lais et Elephantis inter se contraria prodidere de abortivis, carbone e radice brassicae, vel myrti, vel tamaricis in eo sanguine extincto etc.“ Plin. hist. nat. Lib. XXVIII. cap. VII. XXIII. — Conscripsere quoque de morbis mulierum Elephantis et Cleopatra, quae auctore Galeno [a]) etiam de arte cosmetica libros ediderunt. Quin a medicis ipsis artem obstetriciam exercentibus edoctae fuere feminae. Ita Hyginus narrat: „Agnodicen quandam puellam virginem concupisse medicinam discere et se Herophilo tradidisse in disciplinam“ [b]). Simile quid Abulpharagius de Paulo Aegineta narrat hisce verbis: „insigniter autem peritus fuit in mulierum morbis, multumque illis curae impendit. Convenire ipsum solebant obstetrices, et eum de rebus, quae mulieribus post partum acciderent consulere, quibus respondere dignabatur, et quid facerent in iis, de quibus quaesierant judicare, unde eum ALKAWABELI s. obstetricium appellarunt“ [c]). Quid quod summi in illas feminas honores a medicis ipsis conferebantur, qui libros de arte obstetricia iis inscripsissent, uti Theodorus Priscianus Salvinae aut Victoriae [d]). Fuerunt quoque, quae nomine medicarum ornarentur, quo in numero sunt Sentia Elis, Julia Q. L. Sabina, Forella T. L. Melaniona, Fabulla. conf. Martial. Epigr. Lib. XI. LXXII. de Leda:

„Protinus accedunt medici, medicaeque recedunt.“ — Galen. de locis affect. lib. VI. cap. V. tom. VIII. p. 425. ed. Kühn. — Gruteri inscriptiones. —

Quid autem ipse Soranus de obstetricibus statuerit, ex hisce verbis elucet: „μεριχώτερον δὲ λέγομεν ἀρίστην μαῖαν τὴν γεγυμνασμένην ἐν πᾶσι τοῖς μέρεσι τῆς θεραπείας“ etc. (p. 4.) Quibus verbis omnino consen-

---

a) Galen. de composit. medic. secundum locos. Lib. I. cap. 2. Tom. XII. p. 403.

b) Hygin. Fabul. edit. Jo. Scheffer et Thom. Muncker. Hamb. et Amsterd. 1674. 8. CCLXXIV. p. 201 et 2.

c) Gregor. Abulpharagius, historia Dynastiarum ab Eduardo Pocockio ed. Oxon. 1672. 4. p. 114 et 15.

d) Theodor. Prisciani archiatr. ad Timotheum fratrem phaenomenon euporiston Lib. I. Logicus Lib. II. Gynaecea ad Salvinam Lib. III. Basil. 1532. 4.

CAPUT II. *Quae sit obstetrix optima.*

Optimum esse obstetricem, quae non usu solum, sed etiam theoria multum valeat, maximeque eam, quae longa experientia edocta omnium fere medicinae partium sit peritissima, nullis periculis perturbatam, laboribus perferendis idoneam, aetateque jam provectiore. Sit quoque sapiens, sobria, taciturna, non lucri avida, non superstitiosa, nec non ea, quae jam pepererit. Maxime autem curae sit obstetrici, ut digiti molles sint et teneri, quos, nisi jam naturae beneficio hujusmodi sint, unguentis emollientibus tales reddendos esse suadet noster.

---

tiunt illa Moschionis, ejus discipuli, in libello „περὶ γυναικείων παθῶν" in usum obstetricum peculiariter scripto. „Obstetrix, inquit M., omnia, quae ad foeminam spectant, edocta, imo et artis ipsius medendi perita, ita ut illarum omnium morbos commode curare valeat." cap. I. p. 113. ed. Dewez. — Medicos vero non omnino e partuum observatione inprimis difficilium exclusos fuisse, jam ex Hippocratis, [a]) Celsi, [b]) Sorani, Moschionis aliorumque locis optime confirmatur. Dolendum vero est, medicorum vim licet exiguam in artem nostram non in seriora quoque tempora propagatam, sed eorum manibus omnino ereptam et obstetricibus ex toto traditam fuisse, id quod et apud Arabes et sub finem saeculi VII. fuisse scimus. Quin sequenti tempore usque ad saeculum decimum sextum, quum ars obstetricia quasi pars quaedam chirurgiae fieri coepta est, eundem fere obstetricum statum earumque de arte nostra imperium animadvertimus. Quanta vero nostro quoque tempore — et hoc maxime est lugendum — quo ars obstetr. ad summum fere provecta est fastigium, et quo parturientes ob teneriorem molioremque corporis constitutionem eo magis auxiliis indigeant medicorum, per ineptam obstetricum agendi rationem exoriantur detrimenta, quis est, qui non percipiat.

---

a) Hippocr. de superfoetat. ed. Foës. Sect. III. pag. 43.

b) „Medici vero propositum est, ut infantem manu dirigat vel in caput vel etiam in pedes etc." Cels. lib. VII. cap. XXIX. — „Quo fit, ut et imus venter in conspectu medici sit." Lib. VII. cap. XXIX.

CAPUT III. et IV. *De vulva et pudendo muliebri.*[1])

A. De vulva.

Vulvam dici *μήτραν*, *ὑστέραν* et *δελφύν*; *μήτραν* propterea, quia mater sit foetuum, vel etiam quia matres gignat; *ὑστέραν*, quod extremum sit omnium viscerum; *δελφύν*, quod *ἀδελφοὺς* gignat. Sitam esse vulvam in coxendicum amplitudine (*τῶν ἰσχίων εὐρυχωρίᾳ*), i. e. cavo pelvis intra vesicam et rectum intestinum, illi subjectum, huic suprapositum; vesica minorem eam esse in infantibus, huic aequalem in virginibus, majorem vero in iis, quae jam aetate sint progressae, aut in iis, quae jam pepererint. Connexam esse vulvam tenuibus membranis ab omnibus partibus hanc circumdantibus. Vulvam autem non esse animal:[2]) „*ζῶον μὲν ὀυκ οὖσα* (*ὑστέρα*), *καθώς ἐνίοις ἔδοξε*," cujus figuram non ut in animalibus circumvolutam, sed cucurbitulae, qua medici utantur, adsimilem esse.[3]) Uteri partes singulas hasce esse; oscillum (*στόμιον*), primam et prominentem partem, in medio cunno situm, quod sequatur collum (*τράχηλος*), quod remaneat cervicem (*αὐχὴν*), horum concursum colem (*καυλὸς*) nominari, partes post colli angustiam dilatatas humeros hysterae (*ὑστέρας ὦμοι*), quae post haec sita sint latera (*πλευρὰ*), quod subjectum sit basin (*βάσις*), to-

---

1. Ne hoc in libello quidquam de Sorano omittatur, hoc quoque fragmentum, quod unicum ex ejus scriptis exstiterat, hic ex Oribasii collect. medicin. libr. XXIV. cap. XXXI. et XXXII. excerpsi. — Praeterea etiam in Rufi Ephesii scriptis graece, et in Theophili Protospatharii, de corporis humani fabrica. Paris 1556. 8. p. 105. invenitur. —

2. „Vulva quoque matrixque in feminis eadem ratione animal avidum generandi, quando procul a foetu per aetatis florem aut ultra diutius detinetur, aegre fert moram ac plurimum indignatur, passimque per corpus aberrans meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbis denique omnibus premit etc." Platon. Timaeus l. l. pag. 3. vol. 2. p. 139.

3. Moschion eandem exhibet comparationem: „primum quidem ut cucurbita medici configuratus est (uterus)." Mosch. cap. VI. p. 114. ed. supr. laud.

tamque regionem conceptaculum (κύτος) et ventrem (γαστὴρ) et sinum (κόλπος) vocari.[1])

Uterum esse nervosum, e nervis, arteriis, venis et carne consistentem. Testes seminis meatus extrinsecus esse adnatos prope cervicem in utroque latere singulos, e molli carne et glandosa constantes, propriaque membrana contectos, rotundos et ad basin paullulum dilatatos. Uterum praeterea ex duabus constare tunicis, inter se membranis nervisque conjunctis, externam nervosam, duram et candidam esse; internam carnosam, hirsutam, mollem et rubicundam, vasis intertextam maxime in fundo, in quo semen agglutinetur indeque purgatio progrediatur. Dioclis sententia, uterum cornua, acetabula et cirrhos habere, omnino refutatur, nam „qui ita sentiunt, in dissectionibus falsi sunt.“ Uterum denique non ad vitam prorsus esse necessarium[2]) contendit a., quod secundum Themisonem non solum procidat, sed in quibusdam etiam praecidatur, nec tamen mortem afferat, quod praeterea in Gallia sues habitiores et valentioris fiant alimenti, postquam uterus abscissus fuerit.[3])

---

1. Hisce solius uteri descriptio continetur. Oscillum uteri orificium externum est, collum est collum uteri, cervix uteri orificio interno respondet, totus decursus, i. e. coles portio vaginalis est, quae etiam conceptaculum (κύτος) nominatur. Praeterea humeri, latera et basis, i. e. fundus distinguuntur, quae omnia etiam venter (γαστὴρ) nominantur. Sinus (κόλπος) in cap. seq. separatim describitur. —

2. Eandem sententiam a. l. profert in cap. XL. h. diss. „de prolapsu uteri.“

3. Veteres auctores de partibus genitalibus et de utero in specie manca tantum falsaque tradiderunt. Opinati enim, summam esse similitudinem inter bestias et homines, uterum quoque, qualis in dissectis animalibus repertus erat, homini inesse crediderunt. Ita ab Hippocrate uterus describitur cornubus sinubusque ornatus: „cum mulier superfoetarit, si quidem primus foetus in medio utero contineatur, superfoetatum quoque a priore expulsum prolabitur. Quod si in altero cornu praepostere conceptum contineat, ipsum postea partu ejicit, minime vitalem, postquam vitali foetu liberatus uterus, laxatus et

Cap. IV. B. De pudendo muliebri.

Pudendum muliebre etiam sinum muliebrem nominari. Esse membranam nervosam, modice rotundam, intestini instar, intus amplius, foris angustius, ad coitum destinatum. Ejus interiorem partem collo matricis (τῷ τρα-

---

humectus fuerit." Hippocr. de superfoet. ed. Foës. Sect. III. p. 41. — Hippocr. de natura pueri. Sect. III. p. 28. — „Mares uteri dextra parte, foeminae sinistra magis gestantur." Hippocr. Aphorism. lib. V. 48. — Idem statuerunt Aristoteles de generat. animal. Lib. I. cap. III. ed. Imman. Becker. Berlin 1831. 4. Hist. animal. lib. III. cap. I. ed. J. G. Scaliger. Tolos. 1619. fol. p. 285 et seq. et postea Galenus, cujus verba haec sunt: „mulieri autem et caeteris animalibus, quae mulieri utero similia sunt, veluti caprae et vaccae etc." Galen. de uteri dissect. cap. III. ed. Kühn. tom. II. p. 891. — de usu partium corporis humani lib. XIV. cap. IV. Tom. IV. p. 150 et seq. — Quos secuti sunt Oribasius et Arabes (Avicenna). conf. Avicennae lib. III. Fen. XXI. Tract. I. cap. I. p. 388. — Celsus primus neque cornuum neque cavorum mentionem facit ullam, qui ceterum nullam dat definitam uteri descriptionem, quamquam ligamenta lata ei jam nota videntur fuisse; dicit enim: „deinde super rectum intestinum progressa, iliis foeminae latera sua innectit." Praeterea conf. Schweighaeuser, tablettes chronologiques. Strasb. 1806. p. 22, " sans donner la description précise de la matrice, il ne parle pas de sinus ou cornes de ce viscère. Cependant il a probablement connu ses ligamens larges, ainsi que la position naturelle de l'uterus etc." — Soranus omnium veterum primus accuratissimam hujus organi descriptionem exhibet. Hic enim jam non, ut omnes ante eum multique post eum, opinari videtur, genitalia externa et interna unum tantum esse organon, sed distinguit perbene μήτραν a γυναικείῳ αἰδοίῳ, quas duas partes duobus capitibus singulas egregie et pro temporis sui statu doctrinae anatomicae accuratissime describit a. Quem quidem Moschion excerpsit, adjecta icone satis bona. v. cap. II. ad XII. usque, p. 113, 114, 15, 16, 17. — Seriori demum tempori, quum studium anatomicum omni ex parte excultum et ad summum perfectionis gradum evectum esset, diligentissima veraque uteri ejusque partium perscrutatio et descriptio erat reservata, quam primum Massa et Vesalius saeculo XVI. praebuerant.

χήλῳ τῆς ὑστέρας), externam cunni labris (τοῖς πτερυ γώμασι), inferiorem ano, latera ejus carnosis coxendicum partibus adnatam esse. Hujus sinus longitudinem sex digitorum in adultis esse, quod vero variet secundum aetatem aut concubitum jam peractum, in quo „collum uteri extensum partem quandam sinus occupet.“ Vaginae praeterea plicas (στόλιδες) inesse, quae in concubitu perrumpantur et dolores excitent. Hymen adesse omnino negat a., contendens, in virginibus se semper specillo in profundum usque sine resistentia ingressum esse, dein necessarium esse, dolores, qui concubitu excitentur, eodem modo inter purgationem adsint, quod vero non fiat; tum denique in sectionibus nihil tale se invenisse. Quam ob rem atresia hymenaica negatur, conceduntur vero atresia labiorum, atresia vaginalis et orificii uteri. De consensu etiam inter uterum et ventriculum, inter uterum et mamas sermonem facit a. Hactenus vaginae (sinus. κόλπου) descriptio. Huic externe adnata esse labra sinus (πτερυγώματα) crassa, carnosa, quorum partes inferiores ad utrumque femur, superiores vero ad nympham, horum labrorum initium, pertineant. „Nympha autem appellatur, quia collo vesicae subsultet.“

CAPUT V. *Quibusnam ex signis cognoscantur feminae conceptioni idoneae.*[1])

Feminas inde a decimo quinto aetatis anno usque ad quadragesimum annum, constitutione non nimis robusta, ut in viraginibus, non nimis pastosa, sed etiam non nimis humida et laxa aut nimis sicca maxime idoneas haberi conceptioni; dein eas, quarum menstruatio regulariter quoad typum, quantitatem et qualitatem procedat. Uterus ipse sit normalis, non nimis siccus aut humidus, non nimis amplus aut angustus, non abhorrens denique

1. Hoc caput ad verbum fere latine redditum inveni in Aët. Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap VII.

a normali directione.[1]) Digestionem illaesam, animum tranquillum et hilarem, in universum corpus sanum fausta conceptioni esse signa. Rejicienda vero esse omnia medicamina conceptionem provocantia, ut scordanum, coriandrum, rutam etc. Denique Euenoris et Asclepiadis sententiae de hac re proponuntur.[2])

CAPUT VI. *Quodnam tempus aptissimum ad concubitum foecundum.*

Sicuti non quoquo tempore semen terrae possit mandari, ut fructus inde reddantur, sic non quodque tempus concubitum foecundum peragendo aptum esse. Idoneum esse tempus post menstruationis fluxum; paullo enim ante uterum nimis gravatum esse sanguine menstruali, quae duo igitur incitamenta, sanguinis excretionem seminisque exceptionem simul ferre non posse uterum. Menstruationis vero tempore semen utero immissum una cum sanguine emitti. Mulierem autem ipsam libidine et cupiditate incensam esse oportere, quamquam et vi coactae eadem corripi soleant voluptate. Corpus ipsum purum sit, non debile; nam in corpore debili etiam uterum fieri debilem suaque functione privari. Ventriculus nec plenus sit, nec vacuus, digestio bona. Maxime autem concubitui foecundo ebrietatem obesse. Animus praesertim sit tranquillus, nec sollicitus, quod ab animi affectione variae dependeant foetuum formationes. Jam de corporis deformationibus agitur atque de similitudine ejus cum bestiis, quae plerumque ex illo gravidarum animi conditione, quam nos „Versehen" nominamus, efficiatur. Ad quod exemplo quodam confirmandum tyrannum Cypri commemorat, cujus uxor ob mariti corpus male formatum per concubitum pulcherrimas adspexerit

1. „Locus vero conceptui idoneus, quem sane uterum nominamus, sanus esse et siccus et mollis debet, ac neque contractus neque proclivis, neque ore distorto aut diducto." Hippocr. lib. II. Praedict. ed. Kühn. Tom. I. p. 219.

2. Conf. Moschion cap. 23. p. 122.

statuas tumque infantes bene formatos pepererit. Post concubitum, ut semen retineatur in utero, summa commendatur quies. Postremo aliorum quoque sententiae afferuntur, quibus tempus plenae lunae et veris aptum ad concubitum videatur, cui vero opinioni non suam adscripsit Soranus. [1])

CAPUT VII. *Num sanus sit status graviditatis.*

Nec conceptionem nec graviditatem sanum esse statum, nam etsi, ut menstruatio sic etiam graviditas ad processum corporis physiologicum pertineat, hanc tamen multa incommoda, ut picam (*κίσσα* dicitur), afferre. Praecipuam vero caussam affectionum morbosarum per tempus graviditatis in detractione alimentorum, quae matri a foetu detrahantur, positam esse [2]).

CAPUT VIII. *Quaenam signa sint graviditatis.*

Tres diversi graviditatis gradus distinguuntur, receptio (*ἀνάληψις*), conceptio (*σύλληψις*) et graviditas in sensu stricto (*κύησις*). Receptionem eum esse statum, in quo semen ad fundum uteri ducatur; conceptionem, si semen jam perductum retineatur. Ad singula conceptionis signa haec pertinere: horripilationem paullo post concubitum peractum [3]), affectionem dolorificam in partibus genitalibus et circa umbilicum; cessationem praecipue fluxus menstrualis [4]). Deesse per aliquot tempus cupiditatem concubitum exercendi, vaginam et uteri orificium siccum esse et aridum. Lumbos latiores reddi,

1. conf. Moschion cap. XXIV. p. 122.
2. conf. Hippocr. de morb. mulier. Th. II. p. 654.
3. Signa adauctae sensibilitatis Hippocrat. commem. in libr. de superfoetat. Th. I. p. 467.
4. „Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore neque febre succedente, ciborumque fastidia ei accidant, gravidam esse existimato.“ Hippocr. Aphor. Lib. V. 61.

mammas paullatim elevari cum dolore [1]); venriculum sursum verti, oculorum margines flavescere [2]). Ephelides [3]), picam signa esse graviditatis. Epigastrium tumescere, partem colli uteri anteriorem calidiorem reddi, posteriorem vero frigidiorem fieri. Occlusionem denique orificii uteri [4]) motumque infantis a matre sensum certissima esse graviditatis signa [5]).

1. conf. Hippocr. de natura puer. Th. I. p. 401.
2. conf. Hippocr. de superfoetat. Th. I. p. 466.
3. Hippocr. ex hoc signo ad genus foetus concludit hisce verbis: „quae utero gerentes maculam in facie veluti ex solis adustione ἐφῆλιν vocant, eae foemellam gestant: quae vero bene coloratae permanent, marem plerumque.“ Hipp. de sterilibus (Kühn III. p. 8). Hoc signum recent. tempore Hohl fusius extendit in libro: „Die geburtshülfliche Exploration.“ Th. II. Halle 1834. 8. p. 46. —
4. „Quae utero gerunt, iis uteri os connivet.“ Hipp. Sect. V. Aphor. 51.
Galen. de dissect. vulv. cap. VII, et comment. ad Hippocr. Aphor. 51. lib. V.
Aristot. H. A. Lib. VII. cap. IV.
Aëtius Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. 8 et 10.
Avicenna L. canon. III. Fen. XXI. Tract. I. cap. 11.
5. Veteres jam multa graviditatis signa summa cura diligentiaque collegisse, ex hisce, quae modo dicta sunt, satis elucet. Nonne hodie quoque signa graviditatis fere eadem sunt, quae jam Soranus noverat. Quae autem signa ab Hippocrate, Aristotele aliisque proposita fuere, pleraque aut plane ridiculosa, aut falsa reperiuntur. Moschion (cap. XXV. p. 123.) Soranum praeceptorem secutus pauca tantum de hac re in usum obstetricum compilavit. Galenus, Aëtius et Arabes ex toto antecessorum opinionibus freti, nihil novi adjecere. Recentiori tempore Mauriceau et Deventer explorationem manualem optimam graviditatis signa accuratius perscrutandi rationem docuerunt, eamque Smellie, Röderer, Stein et Baudelocque optimo successu longius prosecuti sunt. Nec tamen negari potest, explorationem manualem a veteribus non esse neglectam [a]), sed magis ad morbos uteri quam

a) conf. Hippocr. de morb. mulier. Lib. II. p. 682. — de natur. muliebr. p. 563. et multos al. loc. —
Galen, Tom. IX. p. 223. (edit. Chart.).

CAPUT IX. *Ex quibus signis, num puer an puella sit foetus, cognoscatur.*

Signa ab Hippocrate de hac re proposita [1]) et paucis hic relata pleraque ab auct. nostro rejiciuntur, ipseque certissimum signum in pulsuum utrius manus diversitate consistere contendit. Puerum adesse, si pulsus manus dextrae fortiores, majores et duriores tangantur quam in sinistra, puellam si contrarium. Urinae quoque certum inesse signum. Sedimentum in dextro vasis latere puerum, sparsum vero per totum vas puellam indicare [2]).

CAPUT X. *De cura gravidarum.*

Pro conceptionis, graviditatis et partus statu triplicem etiam esse therapiam. Hoc capite maxime de cura gravidae ejusque quae concepit feminae agitur. Tranquillitas animi et corporis praecipue paullo post conceptionem, diaeta regularis et tenuis commendantur. Vitandum autem esse quam maxime motum corporis nimium, ut saltum, lapsum etc. Tussin vehementem, vomitum, diarrhoeam, haemorrhagias omnis generis, medicamina relaxantia et adstringentia sumta, nimium calorem et frigus, animi praecipue affectus, balnea denique paullo post conceptionem adhibita nociva esse et facile etiam abortum provocare [3]).

---

graviditatem dignoscendi. Recentissimo demum tempore sthetoscopi ope plerumque subtilissima graviditatis signa percepisse medici dicuntur.

1. conf. Hippocr. Aphor. 41 et 47. lib. V. „mulier praegnans, si marem gestat, coloratior est, si feminam, minus colorata.“ (41.) — „mares foetus uteri dextra parte, foeminae sinistra magis gestantur.“ (47.)

2. Quae vero omnia mihi et falsa atque ex errore quodam judicii observationisque orta esse videntur, quo quidem errore nec nostris temporibus ab omni parte liberata est haec disciplina. —

3. In universum etiam Soranus iisdem de hac re legibus, quibus nos, paret. —

CAPUT XI. *Num abortivis remediisque conceptionem impedientibus utendum sit et quomodo.*

Distinguuntur remedia conceptionem impedientia (*ἀτόκια*) et abortiva mera (*φθόρια*). Illa impedire, quominus conceptio fiat; haec efficere, ut quod conceptum fuit, corrumpatur. His remediis tum esse locum, quum partus gravior periculosiorque immineat; praecipue angustum uteri collum aut uteri totius parvitatem, tumores dein in uteri orificio aliaque cujusvis generis impedimenta mechanica eorum usum requirere [1]). Melius vero esse, impedire quominus conceptio fiat, quam foetum abortivis necare. Aliorum auctorum opiniones, inprimis Hippocratis [2]) afferuntur, qui quidem medicamina abor-

---

1. Idem proponit Moschion cap. 43. p. 130. „Alii autem abortivis utendum censent, quae neque adulteris neque lucri causa admoveant. Si vero callosam carnis excrescentiam, aut aliud impedimentum in uteri orificio habuerit mulier, et sic conceperit; satius quod concepit abortivo depelletur. Tales enim cum partus dies advenerit, foetu perperam exitum moliente, moriuntur; parturientem enim periclitari necesse est.“

2. Memorat hic auctor Hippocratis librum „de natura pueri“ hisce verbis „*διὸ καὶ τὸν Ἱπποκράτην παραιτησάμενον τὰ φθόρια παραλαβεῖν ἐν τῷ περὶ παιδίου φύσεως ἐκβαλεῖν χάριν τὸ πρὸς πυγὰς πηδᾷν. Γεγένηται δὲ στάσις· οἱ μὲν γὰρ ἐκβάλλουσι τὰ φθόρια, τὴν Ἱπποκράτους προςκαλούμενοι μαρτυρίαν λέγοντος οὐδ᾽ ἂν οὐδενὶ φθόριον, καὶ ὅτι τῆς ἰατρικῆς ἐστὶν ἴδιον τὸ τηρεῖν καὶ σωζειν τά γεννώμενα ὑπὸ τῆς φύσεως* etc.“ — Ex hac verborum Hippocratis explicatione elucere videtur, summum hunc medicum non secum pugnasse, in jurejurando abortiva vetando, in libro autem de natura pueri fidicinae *πρὸς τὴν γῆν πηδῆσαι* suadendo. Illa enim abortiva, ad Sorani sententiam *φθόρια* aut *ἀτόκια*, omnino ab H. rejiciebantur, hoc vero remedium, quod diversum ab arbortivo, *ἐκβόλιον* nempe esse ei videbatur, adhiberi voluit. Nec fortasse inde male conjicias, librum illum de natura pueri, qui adhuc ob illam ipsius auctoris sententiae discrepantiam suppositicius habebatur, genuinum esse Hippocratis opus.

tiva ut turpia rejiciant, qui tamen ipsi alia foetum removendi remedia, ἐκβόλια nominata, (conquassatio, saltus etc.) commendent. — Ut concubitus infoecundus reddatur, haec Soranus praecipit. Marita quo momento semen mariti effluxerit, respiratione repressa, seipsam retrahat, ne semen in uterum intret, dein exsurgat genubusque curvatis sedeat. Multa praeterea remedia conceptionem impedientia enumerantur: inunctiones orificii uteri ex oleo, aut melle, aut cedria, aut opobalsamo, cum absinthio conjunct. — aliud remedium: galbanum cum vino et lana molli in uteri orificio imponendum. Pessi ex adstringentibus parati, qui ante concubitum in uteri orificium immittantur, ut hoc claudatur; secunda vel quinta hora illi removeantur. — aliud remed. rad. Panacis, terrà cimolia cum vino trita, in uteri orificium immiss. — aliud: mali Punici, gallae turcicae trit., ut fiat pessus. — aliud: caricae c. nitro. Cavendum autem esse, ne adstringentium usu partes nimis corrodantur. — aliud: Aloë, semen Leukojae, piper album cum vino paratum. Nec vero omittuntur molestiae, quae horum medicamentorum usu ventriculo, capiti aliisque organis exhibentur. — Fit amuletorum quoque (περιάπτων) mentio, quae ut ab aliis laudantur, ita a nostro irrita et vana habentur. — Conceptione autem jam effecta, abortiva mera in usum vocanda esse. Compressiones abdominis fasciarum ope, conquassationes corporis saltu, onera tollendo aliisque motibus provocatas, coctiones diureticas, clysmata ex adstringentibus parata, frictiones cujusvis generis in regionem pubis et epigastrii adhibitas, balneas, medic. adstringentia pro usu interno et externo, cataplasmata ex adstringentibus cum felle tauri, absinthio et similibus conjunct. parata in hunc finem adhiberi. Emplastrum ex cyclamine, elaterio, artemisia, absinthio, colocynthide, cocco Cnidio, nitro, opoponace, rad. caricar. agrest. (συκίου ἀγρίου ῥίζη), lupino piloso, rad. Chelidonii, sem. aut rad. Leukojae, ol. Cyprino parat. valde laudat noster (forsan ad orificium uteri concludendum). Hoc autem modo si foetus non solvatur, alia efficaciora abortiva in usum esse vocanda, sed tamen caute, alioquin periculosum esse, prae-

sertim si femina sana robustaque, ejusque uterus durus et densus sit. Cavendum igitur esse, ne haec medicamina secundo graviditatis mense aut quarto applicentur, sed tertio solo, genitalibus antea balneis aut insessu relaxatis, diaeta tenuissima observata, pessis emollientibus in vaginam immissis, vena, ut Hippocrates moneat [1]), secta, alvi excretione facta. Etiam emeticum inter abortiva refertur. Sin vero hisce abortivis corruptio foetus non fiat, instrumentum ad eum removendum applicandum esse (*μοχλυθήσεται διὰ τῶν ὑπογεγραμμένων*). Ad eundem finem sternutatoria commendantur et pessi abortivi fortiores, quorum unum ex iride, galbano, cocco Cnidio, therebinthina cum rosis aut oleo Cyprino mixt. maxime commendat noster; quem pessum, genitalibus antea lavatis, immittat femina in vaginam ibique per totam noctem maneat, tempore autem matutino ita sedeat supra decoctum foeni Graeci et artemisiae, ut vapores pudenda attingant. Quod si tum quoque foetus non excernatur, alter immittatur pessus. Abortu facto feminam ut in inflammatione esse tractandam [2]).

CAPUT XII. *De signis instantis abortus* [3]).

Primo liquorem aqueum e partibus genitalibus excerni, dein sanguineum aquae carnis similem. Embryone soluto sanguinem merum effluere, qui in uteri cavo accumulatus coaguletur et excernatur. Gravitatem simul et dolorem in regione sacrali, in abdomine, in regione

---

1. „Mulier utero gerens vena secta abortit, idque potissimum, si foetus grandior fuerit.“ Hipp. Sect. V. Aph. 30.

2. Veteres ad abortiva praeceptis quasi artis ducti confugisse, turpissimum esse omninoque damnandum, confitendum est; magnam vero hujus rationis caussam in arte nondum satis exculta quaerendam esse, negari non potest. Quid quod ne recentissimi quidem obstetricantes a simili quadam partum removendi methodo „Accouchement provoqué“ nominata, abstinent. —

3. conf. Aet. Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. XIX.

inguinali, in oculis, artubus, molestias ventriculi, artuum frigus, sudorem, lipothymiam, opisthotonum, epilepsiam, singultum, spasmum et aphoniam signa esse abortus instantis in illis praesertim feminis, quae abortiva sumserant. Illis vero, quae sponte abortum perpetiantur, auctore Hippocrate mammas collabi [1]; secundum Dioclem vero feminas tum horripilatione et gravitate artuum corripi. Eas vero, adjicit a., quae sano gaudeant corpore cum utero humido, quae facile jam magnos pepererint infantes, quibus exigua tantum sit sanguinis copia, nec pingues et aetate jam sint provectae, non facile abortum perpeti [2].

CAPUT XIII. *De iis, quae in utero feminae gravidae gignuntur.*

Tres nominat auctor membranas, quae in utero post conceptionem oriantur: chorion, membranam foetum undique cingentem; allantoidem, membranam, quam duplicem esse Soranus vult; amnion denique, membranam tenuem.

CAPUT XIV. *De ortu chorii, umbilici et cotyledonum* [3].

Foetus analogiam cum ovo gallinaceo ejusque membranis refert noster. Primum chorion describit membranam foetum cingentem, fundo uteri connatam, ex venis,

1. „Quae abortum facturae sunt, iis mammae marcescunt." Hipp. Sect. V. Aphor. 53. —
2. conf. Moschion cap. 43. p 130.
3. Satis constat, omnes fere anatomicas disquisitiones in bestiis tantum institutas esse a veteribus. Itaque nec uterus gravidus ex hominum cadaveribus dissectis iis innotuit, id quod iis, quae de ovo humano scripserunt, optime confirmatur. Quamquam Hippocrates in libr. de carnibus p. 254, in libr. de natura pueri p. 236 et 37, et in libr. de morbis mulier. p. 609 etc. ovum humanum se accuratius inspexisse dicit, nec tamen quidquam accu-

arteriis nervisque constantem, in fundo uteri massam crassam et carnosam (quae pars etiam placenta vocetur), in aliis vero partibus tenuem praebentem membranam (μικρὸν ὕστερον nominat.). Variis hanc significari nominibus; vocari enim et **chorion**, quia circumdet foetum (ἀπὸ τοῦ κεχωρηκέναι), ex aliorum vero sententiis, quia ex multis constet partibus uti chorus (καθάπερ ὁ χορός [1]), et **angion**, quia foetum uti vas (ἀγγεῖον) obtegat, **secundae** dein (δεύτερον, ὕστερον), quia embryonem in lucem editum sequatur; πρόρηγμα [2]) denique, quod prius disrumpatur necesse sit, ut aqua (amnii) partes genitales lubricas reddendo evacuetur. Funiculum umbilicalem ex duabus venis totidemque arteriis compositum esse, quibus urachus accedat, ex quo urina foetalis in chorion ducatur. Exponuntur multorum auctorum sententiae de ortu horum vasorum. Empedocle docente illa vasa hepati innata esse, auctore vero Phaedro cordi; aliis autem videri venas ad hepar, arterias ad cor transire; Herophilo venas ad venam cavam, arterias ad arteriam tracheam pertinere. Eudemum vero contendere, in umbilico embryonis vasa conjungi, inde in duos arcus sub diaphragmate disjungi. — Urachum fundo vesicae esse

---

ratius aut lucidius ab eo de hac re comperimus. Idem quod H., Aristoteles de ovo humano docuit. (de genitur. animal. Lib. II. cap. IV.) Rufus Ephesius (Lib. I. cap. 37. Stephan) ovum animale, duas ejus membranas ἄμνιον et χώριον, et funiculum umbilicalem ex duabus venis totidemque arteriis et ex uracho e fundo vesicae ad placentam transeunte descripsit. Moschion (cap. 41 p. 129) quinque etiam putat esse vasa funiculi umbil., easque quas Soranus nominat membranas. Galenus allantoidem adhuc ad membranas adnumerat, in ceteris Soranum auctorem est secutus. Arabes nihil novi huic rei adjecerunt. Omnes illae opiniones usque ad Vesalium immutatae manserunt. — Conferas quae egregie de hac re ab Hallero, Albino et Huntero conscripta sunt.

1. „Chorion dictum est a se ipso, quod sua ipsius propria amplitudine, εὐρυχωρία, indicat.“ Mosch. cap. 37. p. 128.

2. „Etenim et praegnans inde dicta est, quod primum rumpatur.“ Mosch. cap. 39. p. 128.

adnatum, e membrana tenui constantem. De una membrana, de amnio nempe, dissentire adhuc auctores; hanc enim differre laevitate a brutorum membrana, non totum corpus, sed nasum tantum, os et anum [1]) circumvolventem [2]). Cui opinioni multos esse contrarios; alios enim contendere, omnino non adesse hanc membranam, quippe quae post partum non inveniatur. Aquam vero (amnii) non modo in cavo chorii esse, sed etiam in interstitiis (ἐν τῷ πάχει τοῦ χορίου) hujus membranae, ita ut quasi fistulae duplices aut triplices formentur, per quas aqua fluat.

CAPUT XV. *De cotyledonibus.*

Ostia venarum et arteriarum in interna uteri pariete haerentium excrescentias nodulosas exhibere, nodis haemorrhoidalibus similes. Quas excrescentias nodulosas cotyledones nominari noster vult. Mulierum cotyledones paulo minores esse, quam caprarum, vaccárum, cervarum similiumque. Substantiam earum fungosam esse, mucosam, et quoad formam verrucae similem. Effluere ex hisce cotyledonibus sanguinem menstrualem, foetumque ipsis nutriri. Sperma virile cotydelonibus adnasci et ab utero contracto arctissime circumvolvi. E finibus illorum vasorum nova formari vasa, ita ut ex arteriis arteriae, e venis venae nascantur, quae inter se membrana (chorio) jungantur. Haecce vasa conjungi in duas venas totidemque arterias, quibus accedat urachus ex foetu prodiens. Haec quinque vasa circumdari membrana, et

---

1. Mirandum sane est, quod Haeserus hoc loco significationem vocis „δακτύλιον“ omnino non fuerit assecutus eamque cum voce „δάκτυλον“ confuderit, quamquam alio etiam loco eodem utitur verbo Soranus idem significante. Conf. p. 13 prim. lin. supr. „ἐπίκειται δὲ (ὁ γυναικεῖος κόλπος) τῷ δακτυλίῳ καὶ τῷ σφιγκτῆρι etc.“

2. Conf. Moschion cap. 42. p. 129. „Tunica (amnii) totum corpus circumplexa et adhaerens, quae licet frequentius intus integra habeatur, aliquando tamen consumitur, ita ut non per totum corpus appareat.“

sic funiculum umbilicalem formari. Dein duas venas in unam circumvolvi, per funiculum umbilicalem in cava hepatis parte ad venam cavam transeuntem, per quam circulatio sanguinis matris ad foetum nutriendum fiat. Eodem modo duas arterias umbilicales in unam coire, ad laterales vesicae urinariae partes transeuntem et cum magna arteria (Aorta) sese conjungentem. Embryone ad normalem magnitudinem crescente, uteroque valde extenso, membranas disjungi foetumque in lucem edi. Quae omnia e caprarum, vaccarum, cervarumque dissectione se didicisse affirmat Soranus [1]).

CAPUT XVI. *Quomodo ad foetum mortuum removendum agendum sit* [2]).

Embryone mortuo soluto, sed vaginae adhuc haerente injectiones ex oleo Cyprino et Therebinthina, insessus e medicaminibus aromaticis, fumigationes ex Asphalto, Galbano etc. ad foetum mortuum removendum commendantur, scilicet quum inflammatio genitalium non adsit. Utero vero clauso spongia aut papyrus ad uterum dilatandum applicetur. Si chorion (placenta) embryone

---

1. Quod veteres auctores de cotyledonibus opinabantur, ex hoc Sorani nostri capite satis elucet. Hippocratis sentent. demonstravit Galenus in libr. de dissect. vulvae cap. X. „cotyledones sunt ora vasorum vulvae et venarum ora, quae in vulvam penetrant.“ Moschion nullam cotyledonum facit mentionem. Recentiori demum tempore diligentissimis et accuratissimis gravidi uteri dissectionibus cotyledones non in hominibus, sed in bestiis tantum inveniri cognitum est. — Conf. de hac re M. C. Bose Diss. de obstetr. erroribus a medico clinico pervestigandis. Lips. 1729. p. 16. — Astruk des maladies des femmes Tom. VI. p. 215, et van Swieten Comment. Tom IV. p. 618.

2. Hippocr. in libr. de natura muliebri medicamina partum accelerantia praecipue ad infantes mortuos ex utero expellendos „ad ejiciendum foetum mortuum cum secundinis“ recitat.

jam edito adhuc non sit solutum, omnes conatus id removendi, aut ligaturam funiculi umbilic. praemature applicandi valde vetat noster.

CAPUT XVII. *De abortu bimestri et trimestri.*

Hippocrate auctore feminas, quae modicum habeant corpus, maxime abortum bimestrem et trimestrem perpeti. Earum enim cotyledones muco nimis accumulatas esse, quibus foetus non contineatur sed abrumpatur. Medicamina pituitam ducentia, pessi ex colocynthide parati, victus calefaciens et siccans, frictiones etc. commendantur [1]).

CAPUT XVIII. *Quae signa partui normali praegrediantur.*

Circa septimum, nonum aut decimum graviditatis mensem gravitatem hypogastrii et epigastrii, sensum urentem in partibus genitalibus, dolorem in regione lumbali et coxali et in omnibus partibus utero subjacentibus a feminis accusari. Uterum aliqua ex parte descendere, ita ut obstetrix facile eum tangere valeat, orificium uteri distare et apertum esse.[2]) Partu vero appropinquante genitalia intumescere et tenesmum urinae intrare; liquorem effluere e genitalibus plerumque sanguineum [3]), vasis chorii tenuibus ruptis. Digito immisso tumorem circumscriptum ovo similem occurrere [4]).

1. Totum hoc caput ad verbum latine redditum inveni apud Aetium. Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. XXI, Aspasiae adscriptum.
2. Qui locus documento esse potest, explorationem manualem jam multifarie ab obstetricibus veteribus institutam esse.
3. Nonne hoc signum idem est, quod nos voce „Zeichnen" significamus.
4. Conf. Mosch. cap. 44. p. 130.

CAPUT XIX. *Quid suadendum sit normaliter parturientibus.* [1])

Paucis exponitur, quomodo spiritus doloribus ad partum durantibus ad infimas corporis partes premendi, nec vero in collo sint retinendi, quo quidem in casu malum insanabile, bronchocele, aneurysma topicum etiam nominatum, exoriatur.

CAPUT XX. *Quo tempore parturiens in sella obstetricia sit collocanda.*

Doloribus ad partum intrantibus parientem non protinus in sella esse collocandam, sed prius situm embryonis abdominisque conditionem respiciendam esse. Si abdomen magnum sit et antroversum, situm resupinum esse recommendandum, femora epigastrium versus adducenda, obstetrice ad solatium praebendum assistente. Quo vero tempore orificium uteri dehiscat et chorii ruptura immineat, parturientem in sella[2]) collocandam esse[3]),

---

1. Conf. Aet. Tetrabibl. IV. Sermon. IV. cap. 14.

2. De sella obstetr. in cap. XXX hujus diss. fusius disseretur.

3. Hippocrates in partu naturali lecti mentionem facit, in partu vero difficiliore, tum maxime quum secundinae non statim sequuntur, lasano utendum esse monet. Celsus de situ resupino quidem in lecto transverso loquitur, sed etiam in partu abnormi, quo foetus mortuus edatur. Moschion (cap. 49. p. 133.) jam distinctius ex praeceptoris sui consilio, quid in partu normali faciendum sit, docet. „Supinam eam in lecto, qui dure stratus est — locandam esse; cum vero chorion ad ovi magnitudinem in orificio uteri protuberans invenerimus, eam in sedile transferemus.“ Galenus (de natur. facultat. Lib. III. cap. 3.) eandem profert sententiam, dicens: „obstetrices ipsae non illico parturientes surgere jubent, nec in sella collocant; — postea vero, quum ad partus transitum satis patet (os vulvae) surgere mulierem jubent, et in subsellio collocant.“ Cum hisce consentiunt Aetius (Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. XXII.), Paul. Ae-

CAPUT XXI. *De doloribus ad partum.*[1])

Paucis naturam describit a. dolorum ad partum („ἔνστασις πνεύματος εἰς τοὺς ὑπὸ πόδας τόπους μετὰ φωνῆς“), et quomodo oriantur illi dolores.

CAPUT XXII. *Quomodo partus normalis peragi debeat.*

In partu normali, hoc est capite praevio vel pedibus praeviis[2]), nullum auxilium neque ab obstetrice neque a medico adhibendum esse[3]), quia sola naturae vi infans in lucem edatur[4]). In partu vero difficili, aut ab ipsa parturiente, aut ab embryone, aut a rebus externis nascente[5]), medicos auxiliari coactos esse.

---

gineta (de re medica Lib. III. cap. 76.), Albukasis (Method. medendi Lib. II. cap. 75.). Quum igitur neque Hippocrates neque Celsus, quid in naturali partu vel obstetrici vel medico faciendum sit, commentati essent, Soranum primum leges in partu normali adhibendas praescripsisse, non solum ex hoc capite, sed ex illo praesertim, in quo „de rebus ad partum (normalem) comparandis“ sermo est, satis comperimus.

1. Haec duo capita: τίς ἐστιν ὠδὶς, et πῶς γίνονται ὠδῖνες in unum cap. contraxi, quod accuratissima inter ea exstitit conjunctio.

2. De situ infantis normali conf. cap. „de dystocia“ et q. seq.

3. Iisdem fere verbis Aetius de hac re utitur, Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. XIV. „Quae praeparare oportet, et quomodo secundum naturam parientibus consulendum sit, supervacuum fuerit scripta prodere, quum ex longo usu non modo obstetrices, sed reliquae quoque mulieres ita sciant.“

4. Ex tota doctrina Soraniana intelligi potest, auctorem plerumque naturam ducem secutum esse eique artem medendi exercentem plurimum tribuisse.

5. Moschion easdem tres caussas partum difficilem provocantes enumerat, adjicit vero: „aliis vero et quarta statuitur mixta dicta, quod ex praedictarum omnium concursu oriatur.“ cap. 143. p. 205.

CAPUT XXIII. *Ex quot rationibus partus abnormis oriri possit.*

Partum abnormem ex hisce quatuor situum speciebus oriri posse, ex capite praevio, pedibus praeviis, e situ conduplicato et laterali [1].

CAPUT XXIV. *Quotnam sint agendi rationes in partu praeternaturali.*

Multas esse agendi rationes, nempe aut matri succurri posse vel situ mutato vel lecto quassato etc., aut embryoni, si quidem situs ipsius in utero mutetur, quo partus reddatur naturalis.

CAPUT XXV. *Quotnam sint rationes in foetu ipso adhibendae.*

Tres esse rationes foetum tractandi, aut manibus, aut embryulcia, aut denique embryotomia [2].

CAPUT XXVI. *Ex quibus signis, foetum praemagnum natum iri cognoscatur.*

Feminas, quibus jam ante graviditatem magna sit sanguinis copia et coxae latae, in universum igitur feminas robuste constitutas magnos gignere foetus [1].

---

1. De quo diverso situum genere fusius in capite „de dystocia" dissereter.

2. Haecce mihi Sorani verbis inesse videntur. Si embryo, ut in cap. super. demonstratum est, licet mutatus nequaquam edi possit, tum ad rationem operativam aut manibus (certe versione infantis et extractione), aut embryulcia, aut embryotomia confugiendum esse.

3. Quam eandem opinionem etiam nostram esse de hac re, quis est qui nesciat.

CAPUT XXVII. *Ex quibus signis, foetum monstrosum natum iri cognoscatur.*

Si mala sit corporis constitutio, si pica vehementior, et si motus embryonis nullo modo a femina sentiantur.

CAPUT XXVIII. *Ex quibus signis gemellos natum iri dignoscatur.*

Quum jam prius dictum sit[1]), dextram mammam ma jorem fieri, si masculus sit foetus, et sinistram, si femineus, utramque crescere mammam, si mas et femina adsint[2]).

CAPUT XXIX. *De loco partui aptissimo et de rebus ad partum necessariis.*

Hieme parturientem in conclavi calido salubri aëre perflato et spatioso versari debere. Praeterea omnia esse paranda, quibus siccae partes genitales lubricae reddantur, ut decoctum foeni Graeci, ceram liquefactam etc. Optandum esse, adjicit auctor, et matrem et foetum servari, quod si autem fieri non possit, matrem servari gravioris esse momenti, quam foetum. „*Καλὸν μὲν οὖν ἴσως ἑκάτερα σώζειν τῇ κυήσει· εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, φροντιστέον μᾶλλον τὴν τίκτουσαν σώζειν ἤπερ τὸ κυούμενον.*“ (p. 84.)[3])

---

1. Vide cap. IX. huj. diss. et pag. 43 Soran.
2. Hanc sententiam Soranus ab Hippocrate sumsit, quamquam ipse hanc non probavit. Hipp. enim hanc profert opinionem de ortu gemellorum: „cum genitura ad duos sinus divisa pervenerit, eamque uteri receperint, neque sinus alter ad alterum transmiserit, ea utroque sinu separata membrana vestitur, vitamque eo modo accipit quo et unus foetus.“ — Soranum de uteri ratione anatomica jam aliter judicasse, ex cap. III et IV hujus diss. vidimus. —
3. Eandem sententiam Soran. profert p. 113. — conf. ius diss. cap. 36. —

CAPUT XXX. ***De rebus ad partum (naturalem) comparandis.***

Ad partum normalem haec esse comparanda: oleum, aquam tepidam, fomentationes, spongias molles, lanam, fascias, cervicalia, odoramenta, sedile abstetricium (*δίφρον μαιώτικον*), lectos duos, et locum partui commodum. Quae omnia, qua ratione et quem ad finem sint adhibenda, fusius a nostro exponuntur. — Nunc sequitur [descriptio sellae obstetriciae, cujus ante Soranum non ulla usquam facta est mentio. Haud igitur a re fore putavi, hunc locum graecum huc transscribere et ex parte in latinum transferre sermonem.

„Δεῖ δὲ κατὰ τὴν μεσότητα τοῦ δίφρου καὶ καθὸ μέρος ἐπικουφίζουσι, μηνοειδῶς σύμμετρον εὐρυχωρίαν ἐκκεκόφθαι πρός τε μήτε μείζονος αὐτῆς ὑπαρχούσης μήτε μικροτέρας μέχρι τῶν ἰσχίων καταφέρεσθαι, μήτε τοὐνάντιον στενὴν εἰς τὸ μὴ πιέζεσθαι τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον, ὅπερ χαλεπώτερον. Τὴν γὰρ πλατυτέραν ἔκτρησιν ἐνδέχεται πρὸς ἐκπληροῦν ῥάκη παραβάλλουσαν. Τοῦ δὲ ὅλου δίφρου τὸ σύμπαν πλάτος ἱκανὸν ἔστω πρὸς τὸ καὶ τὰς εὐσαρκοτέρας χωρεῖν γυναῖκας, σύμμετρον δὲ καὶ τὸ ὕψος· ταῖς γὰρ μικρομεγέθεσιν ὑποπόδιον ὑποτιθέμενον ἀναπληροῖ τὸ ἐλλεῖπον. Τῶν δὲ ἀπὸ τῆς ἕδρας πλευρῶν τὰ μὲν ἐκ πλαγίων (θλᾶ . . .) σανίσι σκεπάσθω, τὸ δὲ ἔμπροσθεν καὶ τὸ ὄπισθεν ἀνεῴχθη πρὸς τὴν λεχθησομένην ἐν ταῖς μαιώσεσι χρείαν· ἐκ δὲ τῶν ἄλλων μερῶν κατὰ μὲν τὰ πλάγια μέρη δύο εἴδη τυγχάνει τῷ διαπήγματι πρὸς τὸ κατὰ τὰς ἐνστάσεις ἐπ᾿ αὐτὰς τὰς χρείας ἐντερίζειν· ἐξόπισθεν δὲ ἀνάκλιτον, ὥστε καὶ τὴν ὀσφὺν καὶ τὰ ἰσχία τὸ ἀντιβαῖνον ταῖς ὑπαναχωρήσεσιν ἔχειν. Εἰ γὰρ καὶ γυναικὸς ἐξόπισθεν ἐξώσης ἀνακλισθὲν ἐν τῷ ἀνωμάλῳ σχηματισμῷ παραποδίζουσι τὴν εὐθεῖαν τοῦ ἐμβρύου φοράν. Ἔνιοι δὲ κατὰ τὰ κάτω μέρη τοῦ δίφρου ἐκθετὸν ἄξονα προςβάλλουσιν ἐξ ἑκατέρου μέρους περιαγωγὰς ἔχοντα καὶ τύλον, ἵνα ἐν ταῖς ἐμβρυουλκίαις περιτιθέναι βρόχους, ἢ παρὰ κυκλοτεροῦς τοῖς βραχίοσιν ἢ ἄλλοις μέρεσιν τοῦ ἐμβρύου καὶ τὰ ἄκρα ἀποδησαμένων πρὸς τὸν τύλον τῆς περιαγωγῆς

τὴν ʿαλκὴν ποιήσονται, μὴ συνιέντες τὸ κοινὸν, ὅτι τὴν ἐμβρυουλκίαν ἐπὶ κατακειμένης δεῖ γίνεσθαι τῆς δυστοκούσης" [1]). „Oportet autem ex media sella et ea qui-

---

1. Quae ad nostram usque aetatem ab omnibus de usu sellae obstetr. antiquis temporibus adhibitae tradita fuissent, quum accuratius investigassem, ad unum fere omnes vidi contendere, Moschionem et Artemidorum saeculo II. primos hujus sellae mentionem fecisse. Quamquam quidem fuere, qui vellent, jam Hebraeis Aegyptiisque hujus sellae usum notum fuisse, ex interpretationibus tamen verbi האבנים a J. Fr. Böttcher, Rettig et Redslob factis satis apparet, nihil adhuc certi inde posse constitui (conf. Ed. v. Siebold. hist. art. obst. p. 39, 40, 41.). Jam apud Hippocratem haec fere sunt nomina, quibus sellam obstetriciam significari putant: *δίφρον ἀνάκλιτον*, *καθέδρα*, *ἕδος θεσσαλικός*, *λάσανον* h. e. *δίφρον τετρυπημένον ἀνάκλητον*, sella recubitoria perforata. Ita in libr. de superfoet. tom. II. p. 644. „Puerpera ipsa, veluti super sella, ventri exonerando alias vulgo destinata est locanda etc." Clarius in sequent.: „si vero supra lasanum puerpera ipsa sedere nequeat, tum super reclinatam sellam perforatam collocetur." Nec tamen inter omnes adhuc auctores convenit, hanc sellam Hippocr. soli usui obstetricio fuisse destinatam. Foësius enim in oeconomia Hippocrat. *λάσανον* sellam familiarem ad ventris onera exoneranda esse vult, et in pertinaci tantum placentae retentione foetu jam edito in usum esse vocatam, cujus sententiam Pollux lib. X. cap. IX. et Hesychius omnino probabant. (conf. Sieboldii hist. art. obst. p. 93 et 94). Celsus nusquam sellae obstetriciae mentionem facit. — Soranus igitur primus omnium clarissime et manifestissime ostendit, antiquissimis jam temporibus sellam peculiarem usui obstetricio destinatam non solum in difficili, sed in partu etiam naturali adhibitam fuisse. Soranus enim descriptionem exhibet sellae, non quam ipse primus proposuerit, sed qua jam multo ante eum usi fuerint. Quamquam hac prima accurata diligentique sellae descriptione Soranum optime de universa arte obstetricia meritum fuisse, confitendum est, maxime tamen historiae art. obstetr. hic lumen attulisse putandus est, quod inde facillime colligas, jam ante Soranum fuisse, qui eadem qua ipse peritia et cognitione exercuerint artem. Est tamen quod mireris, proxima jam aetate medicos obstetricantes non secutos esse Soranum auctorem,

dem parte, cui insideant parturientes, segmentum excidi, ut spatium amplum, semilunatum, inter se congruum oriatur, quod quum neque majus neque minus sit justo, coxas attingat; nec tamen angustum esse debet, ne pudendum muliebre comprimatur, utpote periculosius; am-

et ingenii et eruditionis laude florentem, nam ut cetera omittam, sellae ipsius descriptio recentiori demum tempore ad illius similitudinem est exhibita. Moschionem igitur, quem adhuc omnium primum sellae descriptionem exhibuisse putaverunt, nihil aliud fecisse constat, quam ut praeceptoris sui verba in usum obstetricum compilaverit his quae sequuntur verbis: „sedile obstretricium consulari sedi simile est, in quo sic sedet, ut sub sexu habeat foramen in lunae formam excissum, ut illac foetus excidere possit.“ cap. 47. p. 132. — Artemidori Daldiani verba de eadem re haec sunt: „visa est sibi mulier quaedam (de qua somniante agit), quae filios sibi gigni optabat, sellas videre obstetricarias (δίφρους λοχειαίους) quibus mulieres in puerperio (πρὸς τὸ ἀποτεκεῖν) communiter utantur, mari innatantes.“ — Galenus in libr. de nat. facultat. Lib. III. cap. III. „obstetrices ipsae non illico parturientes surgere jubent, nec in sella collocant etc.“ (conf. h. l. jam supra cap. XX. citat.) Paulus Aegineta, postquam lecti usum commendavit, sellam quoque adhibendam ad partum accelerandum laudat. Lib. III. cap. 76. „tempus autem desessus in sellam tum demum est, quum uteri ipsius osculum apertum digito occurerrit, et praeruptio sic prominuerit.“ — Aetius Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. 22. idem proponit. Quae Arabes, Avicenna praesertim Lib. III. Fen. XXI. Tract. II. cap. 23, et Albukasis method. medend. Lib. II. cap. 75. hac de re referunt, omnino non sunt gravioris momenti. Haec sunt verba Avicennae: „ut sedeat mulier hora una et tendat pedes suos, deinde resupinetur super dorsum suum hora una, postea surgat subito et ascendat gradus et descendat et clamet.“ Instante partu et uteri orificio aperto: „et melius super quod sedetur apud partum, est scamnum, posito pulvinari sub ipso etc.“ etiam a. l. cap. 24. „fac eam sedere super scamnum.“ — Quid quod recentiori demum tempore Eucharius Rosslinus [a]) et Ruffius [b])

a) Eucharii Rösslini der schwangern Frawen und Hebammen Rosengarte. Wurms. 1813.

b) W. Herrmann Ryff Frawen Rosengarten von vielfalti-

plius enim spatium vestimentis circumundique infartis potest repleri. Latitudo vero totius sellae utique apta sit et feminas corpulentas recipiendo, congrua etiam altitudo; nam in feminis statura brevibus scabello pedibus supposito intervallum expletur. Quoad sellae parietes latus dextrum et sinistrum tabellis obtegantur, paries vero anterior et posterior patens sit ad res partui necessarias, quae adhuc describentur, offerendas. Ex ceteris vero laterum partibus duae tabellae (formae, δύο εἴδη) in utroque latere transverse extenduntur, quibus res necessariae ponantur (πρὸς τὸ κατὰ τὰς ἐνστάσεις ἐπ᾿, αὐτὰς τὰς χρείας ἐντερίζειν.?). A tergo vero fulcrum sit, in quod lumbi et coxae parientis antrorsum se commoventis innitantur" 1). — Secundum alios, adjicit a., in inferiore sellae huius parte cylindrum prominentem in utroque sellae latere adjectum esse, ita constructum, ut laquei ei inserantur, ut in embryulcia foetus laquei altero fine alligatus evolvatur.

Praeter hanc sellam obstetr. lectos duos quoque esse necessarios, unum mollem et pulvinatum, in quo femina paullo post partum collocentur, alterum vero talem esse, in quo feminae etiam decumbentes (situ horizontali) par-

---

sellam illi Soranianae similem fere descripserunt. Nec non recentissimis demum temporibus accuratissimam et perfectissimam sellae obstetr. descriptionem Friedii, [a]) Rödereri, [b]) Steinii [c]) aliorumque diligentiae et eruditioni debemus.

1. Quae nunc sequuntur verba talia fuerunt, ut omnis diligentia adhibita certi quid ex his eruendi inanis et vana maneret, ideoque paucis tantum, quae fortasse hisce contineantur verbis, exponere conatus sum.

---

gen sorgfaltigen Zufällen und Gebrechen der Mütter und Kinder. Francfurt 1545. fol.

a) Georg Albrecht Fried Anfangsgründe der Geburtshilfe. Strasbrg. 1769.

b) Joan. Georg. Roederer, Elementa artis obstetriciae. Götting. 1753. 8. §. 209.

c) Kurze Beschreibung eines neuen Geburtsstuhls und Bettes. Kassel 1772.

tum edere possint.[1]) Situm praeterea parturientium resupinum esse oportere[2]), cruribus divaricatis et diductis, pedibus vero adductis, ita ut inter femora obstetrix possit sedere. Natibus aliquid subjiciendum esse, ut genitalia apareant declivia. Dolores ad partum mitigandos esse aut manibus calidis impositis, aut irrigatione genitalium oleo calido etc. Tum exploratio fiat caute et leniter, et quum chorion tangatur, in sella obstetr. ponatur parturiens; si vero debilis sit et imbecilla, lecto con-

1. Idem Moschion docet cap. 48. p. 132. „alter quidem (lectus) dure stratus est, in quo locare parturientem debemus. Saepe enim et decumbentes pariunt. In eum vero, qui molliter stratus est, parturientem post exantlatos labores collocabimus."

2. Quae a medicis olim de situ parientium tradita sunt, primo Hipprocrates docuit, qui si infantis situs transversus sit mulierem concutiendam et hinc in caput reclinandam esse contendit, quo caput infantis ad os uteri descendat.[a]) Celsus, qui hoc silentio plane omittit, in cap. de foetus mortui exsectione situm resupinum transverso lecto commendat hisce verbis: „oportet autem ante omnia resupinam mulierem transverso lecto ita collocare, ut feminibus ejus ipsius ilia comprimantur, quo fit, ut imus venter in conspectu medici sit." Ex quibus verbis haec „ut feminibus ejus ipsius ilia comprimantur" certissime quoad sensum his Sorani verbis „cruribus divaricatis et diductis" etc. respondent, ita quidem ut genua versus pectus mulieris obversa sint et calces natibus appropinquent, ut in lithotomia fieri solet — Sorano in naturali etiam partu resupinus situs commodissimus et aptissimus videtur, cui Moschion his verbis accedit: „supinam eam in lecto, qui dure stratus est etc." — Qui situs resupinus nostro quoque tempore et optimus et utilissimus, quum parturiunt feminae, habetur.

a. Conf. Hippocr. de foetus mortui exsectione et de morb. mulier. Lib. I. p. 617. ed. Foës., quo loco duplicem concutiendi mulierem modum describit, alterum quo mulier cum lecto, cui alligata, per vices a capite sublimis feratur, qui modus in partu naturali conveniat, alterum quo magis in caput reclinetur, et coxis elevetur, qui utilis sit, ubi partus male compositus, in caput sit convertendus. vide D. J. Godofred. Günzii commentat. de commodo parientium situ. Lips. 1742. p. 7.

tineatur; hanc enim parturiendi rationem tutiorem minusque periculosam esse contendit a. („εἰ μὲν ἀσθενὴς εἴη ἡ κυοφοροῦσα καὶ ἄτονος, τὴν μαίωσιν ἐπὶ κατακειμένης αὐτῆς ποιητέον· ἀσκυλότερος οὗτος ὁ τρόπος καί ἀφοβώτερος.“) Cavendum quoque esse, ne refrigerationem perpetiatur parturiens. Praeter obstetricem tres quoque mulieres adjuvantes parienti assistere debere, duas in utroque latere, et tertia a tergo, ne declinet part. a situ normali, simulque eas hortari partur., ut dolores sustineant. — Quod Soranus docet, quomodo obstetrix parturienti assistens sedere oporteat, quodque ejus sit auxilium manuale ad partum accelerandum, Moschion tam perfecte excerpsit, ut iisdem fere verbis quibus Soranus ipse usus fuerit; quam ob rem ad Moschion. Cap. 52. pag. 134. „obstetrix ubi et quando sedere debet“ remitto. Nec vero hoc silentio praetermittendum est, quod auctor de uteri orificio aperiendo docet.[3]) Digitis, si dolores

---

3. Celsus jam accuratissime hanc operationem, uteri nempe orificii dilatationem, a Gallis accouchement forcé nominatam descripsit, cujus nemo ante eum mentionem facit. In libr. VII,. cap. XXIX. haecce monet: „ex intervallo vero paulum dehiscit. Hac occasione usus medicus, unctae manus indicem digitum primum debet inserere, atque ibi continere, donec iterum id os aperiatur, rursusque alterum digitum demittere debebit, et per easdem occasiones alios, donec tota esse intus manus possit.“ — Moschion cap. 52. pag. 135. haec dicit: „digito manus sinistrae oleo inuncto uteri orificium sensim dilatans aperiet etc.“ — Quae vero operatio mox non digitis solum, sed instrumentorum quoque beneficio facta est, et id quidem maxime ab Arabibus. „Et fortasse, inquit Avicenna, quandoque indigebis, ut aperias vulvam ejus cum instrumento os matricis ejus et aperiatur.“ Lib. III. Fen. XXI. Tract. II. cap. 24. p. 399. In eundem fere modum Albukasis in libr. de methodo medendi. Lib. II. p. 77. — In Gallia Ambrosius Paraeus (opera chirurg. Lib. XXIII. cap. 62.) multa descripsit instrumenta, quae huic rei inserviunt; in Germania Jacob Rueffius (de conceptu et generatione hominis. Tig. 1554. 4. p. 30., ejusdem Hebammenbuch etc. Frcf. a. M, 1600. Buch III. cap. VI. p. 70. — Nostra aetate Osiander (Fr. Benj. Osiander Handbuch der Entbindungskunst. Tübing. 1821

frustra valde urgeant, obstetricem, leniter et caute margines orificii dilatare oportere, neutiquam vero quum uterus contrahatur, quod tum facile inflammatio, haemorrhagiae aut descensus uteri oriantur.

CAPUT XXXI. *Quomodo manus applicandae sint ad foetum excipiendum.*

Manus calefaciendas esse, digitos cera liquida illinendos unguibus resectis, tum primum digitos indices, post medios esse applicandos, uteri orificio antea cera liquida illita.

CAPUT XXXII. *De placentae retentione.*

Saepenumero embryone in lucem jam edito chorion (placentam) in utero remanere, quo contractiones, cephalea, spasmi et asphyxia provocentur. Quam vero retentionem variam esse posse; aut enim cohaerere adhuc placentam cum infante, aut jam ab hoc esse sejunctam; aut placentam ipsam cum utero esse concretam; aut denique ab hoc jam solutam in cavo uteri versari. Ab Hippocrate Errhina, ab Euryphone Cnidio diuretica ex dictamno, elelysphaco (salvia triloba), pessos haemagogos e strutione, iride Illyrica et cantharidibus, conquassationes denique commendata esse. Euenori, Sostri, Apollonii Prusani et Dionis methodi adduntur. Alios suffumigationibus uti ex asphalto, hominum crinibus, cornu cervi, galbano, artemisia, etc. paratis. Strationem usum fuisse medicam. aromaticis, ut narde, cassia, prasio (marubio), artemisia, dictamno, susino, rosis etc. in vase, ex

---

8. Bd. II. Abthlg. II. cap. VII. p. 127.) et nuper demum Buschius (ein Ausdehnungswerkzeug des Muttermundes besonders für die künstliche Frühgeburt, in der gemeins. deutsch- Zeitschrift. Bd. VI. Heft 3. p. 369.) uteri dilatatorium construxerunt.

quo tubus ad genitalia usque pertineret, calefactis. A Mantia infantes juxta matris femora poni, ut eorum pondere et motu chorion ex utero trahatur; quum autem infans jam sejunctus sit a placenta, plumbum ab eo funiculo umbilicali alligari, cujus pondere chorii extractio fiat. Quae omnia vero et inutilia et noxia esse Soranus argumentis uberius expositis ostendere studet. Docet idem egregie, qua ratione placenta removeatur, aut si in utero tantum haereat nec tamen coalita, aut si cum uteri fundo cohaesione arctissime sit conjuncta. Si infans adhuc cohaereat cum placenta, altera manu infantem tenendum esse, altera vero caute secundum funiculi umbilicalis decursum sic utendum esse, ut lenissimis tractionibus conjuncta placenta solvatur, neutiquam vero vi adhibita rumpendam esse, alioquin facile uteri inversionem fieri. Quodsi autem hoc modo semotio placentae fieri non possit, infantem funiculo umbilicali perscisso a placenta sejungendum esse; dein manu oleo illita et uteri orificio aperto caute immissa placentam a cohaesione cum utero jam solutam caute removendam esse; accretam vero cum fundo uteri sic agendum esse[1]): „*εἰ δὲ προςπεφυκὸς εἴη τῷ τῆς ὑστέρας πυθμένι, καθιέναι μὲν ὁμοίως δεῖ τὴν χεῖρα θερμὴν καὶ λελιπασμένην, συλλαβόντα δὲ τὸ χορίον ἕλκειν μὴ ἐπ' εὐθείας διὰ τὸν τῆς προπτώσεως φόβον τῆς μήτρας, ἀλλὰ μηδὲ μετὰ βίας ἰσχυρᾶς, πειθηνίως δὲ, καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἀνιέμενον μετάγειν εἰς τὰ πλάγια, τῇδε κἀκεῖσε παραφέροντα, εἶτα καὶ εὐτονώτερον ποσῶς ἐφέλκειν· ὑπακούει γὰρ τούτῳ τῷ τρόπῳ καὶ ἀπολύεται τῆς προςφύσεως.*“ „Si vero uteri fundo connexa fuerit, similiter quidem manum immittemus calidam et pinguefactam, verum apprehensam secundam non statim rectam attrahemus propter prolapsus vulvae timorem, sed sensim nulla violentia adhibita primum in obliquum placide ducemus, hac et illuc obvertentes. Deinde aliquanto validius attrahemus; sic enim obedit et a concretione exol-

---

1. Hunc locum, quum summi momenti mihi esse videretur, totum huc transscripsi.

vitur.“[1]) Uteri vero orificio clauso injectiones primum adhibendas esse et tum dilatationem orificii cauta manu faciendam, quae si tali modo effici non posit, cataplasmata, inunctiones et iterum injectiones tepidae commendantur. In casu pertinaciori sternutatoria quoque, ut castoreum, piper etc., etiam suffumigia ex cassia, narde, artemisia, iride, herba sabinae, dictamno etc. parata in usum vocantur. Si vero haec omnia sint irrita et orificium uteri maneat occlusum, nihil superesse, quam ut placenta in utero remaneat, ut putredine consumta cum ichore effluente cedat.[2])

CAPUT XXXIII. *De dystocia. Quid sit dystocia.*

Dystociam esse partum difficilem ex caussa aliqua ortam.

CAPUT XXXIV. *De caussis dystociae.*

Charystium Dioclem in libro suo secundo Gynaeciorum demonstrare, primiparas et juniores aetate aegre pa-

1. Quae verba Aetio auctore falso hucusque Philumeni esse habita, ex hac versione, quam ex Aetio Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. 24. descripsi, evidenter apparet.

2. Inter omnes veteres auctores, qui de placentae retentione ejusque cura egerunt, Soranus et accurata et perspicua hujus rei descriptione principem facile obtinet locum. Hippocrates placentam paullo post infantis partum removeri voluit, quem ad finem aut super lasano aut — si parturiens propter debilitatem sedere non poterat — in sella recubitoria puerperam collocavit. Errhinis, [a]) ut supra dictum, pondere funiculo umbilicali alligato, medicaminibus valde irritantibus, ut cantharidibus [b]), pessariis

a) „Ut secundae excidant, sternutatorio apposito nares et os comprimito.“ Hipp. Aphor. Sect. v. 48.

b) Hipp. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 173 et seq.

rere, provectiores vero facile. Provocare autem partum difficilem uteri orificium induratum, clausum, embryonem magnum, robustum, mortuum. Humidas etiam et calidas feminas aegre parere. Hunc vero vituperat noster, quod non eutociae caussas exposuerit. (ἁμαρτάνει δὲ μὴ ἐπιὼν

---

emmenagogis etc., vel remediis superstitiosis et fastidiosis, ut pulvere placentae siccatae, vel aqua ab ea destillata, testiculo equino, urina proprii mariti, [a]), ungulis asinis, lingua chamaeleontis, capite caponis etc. usus est Hippocrates ad placentam removendam. [b]) Efficacissimae et tutissimae auxilii rationis mentionem facit in libr. de superfoet. Sect. III. p. 42. et 43. ed. Foës. „supponendae foetui lanae quam maxime sublatae, recens carptae, quo paulatim cedant, aut utriculi duo copulati aqua pleni, supra quos lanae imponendae, et supra lanas foetus collocandus, deinde uterque utriculus stilo pungendus, quo sensim aqua defluat, qua effluente utres demittantur ac considant, his autem demissis foetus umbilicum attrahit, umbilicus vero secundas extrahit.“ Attamen persaepe placentam in utero relinquere coactus erat, quam putredine colliquatam sexto aut septimo die removeri enarrat. — de morb. mulier. Lib. I. p. 608. et 609. „plerumque vero putrescunt (secundae) sexto tamen aut septimo die, aut etiam posterius exeunt.“ Infantem vero nunquam prius solvit H. a placenta, quam haec simul ex utero sit remota, quia inter caussas gravis placentae retentionis pertineret, si aut obstetricis imprudentia maturius sit abscissus aut aliacunque vi e continuitate sit abruptus funiculus umbilicalis. — Praeclara jam sunt Celsi praecepta Lib. VII. cap. XXIX. dicentis: „medicus sinistra manu leniter trahere umbilicum debet, ita, ne abrumpat, dextraque eum sequi usque ad eas, quas secundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit: hisque ultimis apprehensis, venulas membranulasque omnes eadem ratione manu diducere a vulva, totumque illud extrahere, et si

---

a) Conf. Suchier, Volksmittel zur Beförderung der Geburt und lebendiger Geburtsstuhl; in Ed. v. Siebolds Journal. Bd. XIV. St. 3. p. 545.

b) Accuratius haec descripserunt: Gottl. Thomas Herrmann Diss. de remediorum quorundam ad placentam uterinam expellendam commendatorum, tam insufficiente quam noxio usu. Halae 1761. 4. — Ch. Henr. Donner, diss. de secundinarum extractione Lugd. Batavor. 1789. 4.

τὰς αἰτίας, δι' ἃς εὐτοκοῦσιν)[1]). — Cleophantum in libro suo undecimo Gynaeciorum contendere, omnes quibus humeri lati coxaeque coarctatae sint (ὅσαι δὲ ἀπὸ τῶν ὤμων ἔχουσι πλήθη, ἀπὸ δὲ τῶν ἰσχίων οὐκ εἰσιν εὔογ.

---

quid intus praeterea concreti sanguinis remanet.“ — Soranus vero egregia, experientiam secutus ducem, nova proposuit praecepta, quae ante eum nemo nec meliora nec accuratiora aut luculentiora tradiderat. Primus enim omnium, spreta ratione placentae removendae rudi illa et barbara, atque antea ubique fere tentata, leniorem arteque nostra digniorem exposuit eam et in artis quandam redegit formam, ut non solum istis, sed nostris quoque temporibus ejus vestigiis insistamus, iis tantum mutatis aut additis, quae ab arte obstetr. in dies fere perfectiore et aucta necessario requiruntur. Idem ille indicationes ad hanc operationem perficiendam accurate et stricte proponit, et multoties summam suadet cautionem providentiamque. Etsi Moschion hanc operationem non tam diffuse ut Soranus, explicuit, tamen methodus ab eo proposita egregia est putanda. v. cap. 53. p. 136. — Evanuerunt autem Sorániana illa praecepta tam salubria posterioribus temporibus ex hominum memoria. Nam jam Galenus [a]), et post eum Paulus Aegineta [b]) et Arabes [c]) ex toto Hippocratem sunt secuti. Saeculo demum decimo octavo et sequente tempore haec res uberius tractata est multorumque controversiarum praebuit ansam [d]).

1. His verbis nostri omnino illa Sieboldii sententia refutari videtur, contendentis, a veteribus naturales partus omnino non esse observatos. „Gerade darin lag der Grund, warum erst so sehr spät die Geburtshilfe sich vollkommen gestaltete, dass so lange Zeit hindurch Männer von der Beobachtung der sogenannten regelmässigen Fälle entfernt gehalten wurden etc.“ Ed. v. Siebold, Versuch einer Geschichte der Geburtshilfe. I Bd. Berlin 1839.

---

a) Galen. de composit. medicam. sec. locos Lib. VII. cap. V. Tom. XIII. ed. Kühn. p. 101.

b) Paul. Aeginet. Lib. VI. cap. LXXV.

c) Avicenna Lib. III. Fen. XXI. Tract. II. cap. 16. p. 397. —

d) Conf. Nicol. van der Eem diss. inaug. de artis obstetr. hodiernorum prae veterum praestantia etc. Lugd. B. 1785.

κότεραι, αὗται δυστοκοῦσιν) dystociam pati, nec non eas, in quibus foetus non capite praevio, sed pedibus praeviis, aut duplicatus aut brachio aut pede praejaceat. Neque hunc se laudare, ait Soranus, quod non omnes dystociae caussas proposuerit. — Herophilum, cui Simon Magnesius assentiatur, opinari, in sella obstetricia parientes dystociam pati, praeterea caussas ei videri situm infantis transversum, orificium aut collum uteri non satis dilatatum, membranarum foetum cingentium nimiam resistentiam, uteri debilitatem, tumores epigastrii uterum comprimentes. Postremo Andream quendam nominat a. ejusque librum ad Sobium.

Haecce ipse vult Soranus. Caussas dystociae aut in femina aut in infante aut in partibus genitalibus esse ponendas. Caussas, quae feminae insint, aut psychicas aut physicas esse posse; ad psychicas curam, gaudium, timorem in primiparis praesertim[1]), syncopen, epilepsiam etc. pertinere, ad physicas dyspepsiam, anorexiam, dyspnoeam, spasmos hystericos etc., corpus praeterea nimis pingue aut carnosum[2]), nimiam corporis magnitudinem et humeros latos coxasque coarctatas[3]). — Caussas in infantibus has esse quaerendas: nimiam magnitudinem et corporis totius et singularum partium,[4]) e. g. in hydrocephalo,

---

1. De partu difficili in primiparis conf. Hippocr. de natura pueri p. 247. ed. Foës.

2. Huic opinioni accedunt Moschion cap. 144. p. 204., Aetius Tetrabibl. IV. Serm IV. cap. 22, Aegineta, de re medica. Lib. III. cap. 76. p. 490. in Collect. Steph., Avicenna Lib. canon. III. Fen. XXI. Tract II. cap. 21. p. 721. Bas. 1556.

3. Quis est, qui ex hac corporis muliebris habitus accurata cognitione non colligat, et experientissimum et diligentissimum et sagacissimum hujus artis fuisse Soranum.

4. Foetus nimia magnitudo ab omnibus veteribus caussa partus difficilis gravis habebatur. „Qui vero foetus, inquit Hippocr., per abortiones liberari neqneunt, quod nimirum ii toti, aut eorum partes majores existant, aut minores etc." De morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 182, ed Foës. — Idem fere perhibet Moschion: „Pro-

plures foetus, foetum mortuum, quia parturientem adjuvare non possit,[1]) situm denique perversum.[2]) Quae vero de situ infantis a Sorano explicantur, tanti sunt momenti ad historiam rei obstetr. illustrandam, ut operae pretium esse duxerim, totum hunc locum graece et latine huc transscribere. „Τὸ γὰρ κατὰ φύσιν σχῆμα τοῖς γεν-

cul dubio cum maximum caput fuerit vel totum corpus uteri capacitatem suo volumine superaverit. Vel foetus si hydropicus est, aut gibbus, vel infirmus, tumidus aut mortuus, vel etiam praeternaturaliter locatus, cap. 145. p. 204. — Aetio eadem caussa esse videtur partus difficilis. Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. XXII. et XXIII. — Simile quid apud Aeginetam invenimus Lib. III. cap. 76 ed. Quinter. Andernac. Argentor. 1542. fol. p. 187. — Inter Arabes Avicenna in Lib. III. Fen. XXI. Tract. II. cap. 21. Venet. 1544. fol. p. 398, et Albukasis in libr. de affect. mul. cap. 76. p. 445. Spach. idem comprobant.

1. De foetus mortui diagnosi omnes veteres in errore versabantur summo, quippe qui omnes infantes statuerent mortuos, qui omni auxilio adhibito edi non potuissent. Quam ob rem haec caussa gravissima, qua partus difficilis provocaretur, putabatur. Hippocrates ita disserit: „Id quoque magnopere in caussa est, cur non facile exeat, si mortuus aut syderatus aut duplicatus foetus fuerit.“ Hipp. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 167 ed. Foës. — Item Moschion cap. 145. p. 204 loco jam supra citato. Huc accedit, quod inter veteres constiterit, foetum sua ipsum vi exitum quaerere, aut certe partum motu suo accelerare, quod fieri non posset, si jam esset mortuus. Quae sententia nuper a J. B. Friedreicho recepta est libro: ein Wort über das Ueberraschtwerden von der Geburt und Gebären ohne Wissen, in Henke's Zeitschrift für Staatsarzneikunde. Bd. XXI. p. 391—95. — Ita scripsit Constantinus Africanus [a]): „partus fit difficilis, si foetus mortuus sit, neque se ad exeundum adjuverit movendo.“ Jam antea A. Petit de hac re ita disputavit: „malgré l'opinion de la plupart des auteurs, je pense que l'enfant est purement passif, et que la matrice seule est active et opère tout, qu'elle seule commence et finit l'ac-

a) Constant. Africani de morb. cognit. et curat. Lib. VI. cap. XVI. Basil. 1536. fol. p. 134.

νωμένοις τὸ ἐπὶ κεφαλήν ἐστι, παρατεταμένων τῶν χειρῶν τοῖς μηροῖς καὶ ἐπ᾽ εὐθὺ φερομένου τοῦ ἐμβρύου· τὸ δὲ παρὰ φύσιν, ἢ παρακεκλιμένη ἡ κεφαλὴ εἰς τὰ δεξιὰ ἢ ἀριστερὰ μέρη τῆς μήτρας ἐρείδεται, ἢ μία χεὶρ ἔξω ἐκπίπται ἢ αἱ δύο, τὰ δὲ σκέλη ἔνδον διεστήκασιν ἀπ᾽ ἀλλήλων· Τῶν δὲ σχηματισμῶν ἀμείνων ὁ ἐπὶ πόδας τέ εστι καὶ μάλιστα, ὅταν ἐπ᾽ εὐθεῖαν φέρηται, τῶν χειρῶν παρὰ τοὺς μηροὺς παρατεταμένων· τὰ δὲ ἢ ἔν τινι τῶν σκελῶν προβεβληκότα, τὸ δ᾽ ἕτερον, ἔνδον ἔχοντα ἢ δεδιπλωμένα ἢ ἐνερείδοντά τινι μέρει τῆς ὑστέρας διορθώσεως χρήζει, καὶ τὸ τὰς χεῖρας ἀνατεταμένας ἔχειν· Τῶν δὲ λοιπῶν δύο σχηματισμῶν ἀμείνων ὁ πλάγιος· τρεῖς γάρ

couchement etc. [b])“ — Uberius hanc rem tractabant Albert. [c]), Bluff [d]), Dugès [e]), Rath [f]).

2. Perversa etiam foetus positio a veteribus ad summas partus difficilis caussas referebatur. Sed hac tamen in re maxime et tristissime erratum fuit, quod quum partus naturales rarissime tantum observarentur, infantium situs normales non plane a sitibus praeternaturalibus distingui poterant. Hippocrati enim unus tantummodo situs normalis videbatur, et is quidem capite praevio, reliqui vero omnes anomali. Ita dicit in libr. de natur. puer. Sect. III. p. 26 et 28: „cum vero puer prodit, utero dilatato, qui mollis est, ut suam viam aperit, et in caput fertur, si secundum naturam exierit.“ Alio loco de agripparum partu sic disserit: „grave vero etiam est, si in pedes prodeat, et plerumque aut matres, aut puelli, aut ambo etiam perierunt.“ De morb. mul.

b) A. Petit, traité des maladies des femmes enceintes etc. publié par Baignères et Perral. Paris an. VII. 8. Tom. I. p. 276.

c) Gebiert das Kind sich selbst oder wird es von der Mutter geboren? in der neuen Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. III. Heft. I. p. 76.

d) Wird das Kind von der Mutter geboren oder gebiert es sich selbst? in Ed. v. Siebold Journ. Bd. XIII. St. I. p. 148.

e) Dugés sur les obstacles apportés a l'accouchement par certaines deformations, adhérences, solutions de continuité ou diminution de consistance du foetus. Revue médicale française et étrangère. Novemb. 1833. 8. Paris. p. 169 et seq.

f) Ist es wahr, dass das Kind sich selbst gebärt? in Henke's Zeitschrift für Staatsarzneikunde. Bd. XXIII. p. 408.

εισι πλάγιοι σχηματισμοὶ, ὅ, τε ἐπὶ πλευρὰν ὁποτέραν καὶ ὁ ἐπὶ σκολίαν. Ἀμείνων δὲ ὁ ἐπὶ πλευράν· τόπον γὰρ δίδωσι τῇ χειρὶ τῆς μαίας ἐις τὸ μετασχηματίσαι ἢ ἐπὶ κεφαλην ἢ ἐπὶ πόδας. Τὰ δὲ δεδιπλωμένα φερόμενα χείριστα παντων τῶν σχηματισμῶν ἐστιν, καὶ τούτων ὅσα ἐπὶ τὰ ἰσχία φέρεται· τριχῶς δὲ καὶ τὰ δεδιπλωμένα σχηματίζεται, ἢ γὰρ πρὸς τῷ στόματι τῆς ὑστέρας, τά τε σκέλη καὶ ἡ κεφαλὴ ὑπάρχει, ἢ τὸ ἐπιγάστριον ἢ τὰ ἰσχία. Ἄμεινον δὲ τὴν κοιλίαν ἔχειν πρὸς τὸ στόμα τῆς ὑστέρας. διελόντων γὰρ ἡμῶν τὸ ἐπιγάστριον καὶ κομισαμένων τὰ ἐντοσθίδια, συμπεσόντος τοῦ σώματος, εὐχερὴς γίνεται ὁ μετασχηματισμός.“ (p. 103.) —.

„Situs enim prodeuntis foetus naturalis est ut recte in caput, manibus ad utrumque femur extentis prodeat. Praeter naturam vero caput in dextram vel sinistram uteri partem declinat: [1]) aut altera aut utraque manus exeri-

Lib. I. Sect. V. p. 167 etc. — Idem Galenus sensisse confirmatur loco in libr. de usu partium. Lib. XV. cap. VII. — Immo Plinius contra naturam esse ait, infantes in pedes procedere, quos Agrippas ceu malo astro natos per totam vitam infelicissimos esse opinatur. Plin. hist. natur. Lib. VII. cap. VIII. Tom I. pag. 379. — Celsi autem verba: „in pedes quoque conversus infans non difficulter extrahitur“ summam apud omnes recentioris temporis obstetricantes excitaverunt admirationem. Non est igitur, Soranum „τῶν δὲ σχηματισμῶν ἀμείνων ὁ ἐπὶ πόδας τέ εστι“ dicentem ejusdem esse gloriae participem, quod pluribus hic explicem. Cujus praecepta et accuratissima et verissima hac etiam in re secutus est Moschion. dicens: „Quis foetus partus bono situi proximior? Quotiescunque junctis et in orificio uteri locatis pedibus manibus sane lateribus junctis prodit etc.“ cap. 148. p. 206. — Aetius, Aegineta, Serapio (Practic. tract. V. cap. 36. p. 65) et Avicenna idem comprobabant. Recentissimo demum tempore haec pars artis obstetriciae summum perfectionis gradum assecuta est.

1. De capitis infantilis positione et de ejus declinatione a normali via conferas Moschionem, cap. 146. p. 204., qui uberius hanc rem exposuit: „foetus enim ille, qui capite fertur, quandoque quidem capite in orificio uteri haeret, dum reliquum corpus obverse situm est. Qui praeterea velut praecedens capiti procedit, vel illud in orificium intrusit, vel pone impegit. Vel obli-

tur, et crura intus inter se diducuntur. Reliquis tamen figuris minus suspecta est ea quae in pedes contingit, praecipue si manibus super utroque femore extentis prodeat. Foetus vero, qui altero pede prodeunt, altero intus detento, aut duplicati alicui vulvae parti innituntur, directione indigent, sicut et qui manus expassas habent. Caeterum qui obliqui prodeunt, nimis improbandi sunt, et hoc tripliciter contingere potest, aut enim in alterutrum latus, aut in ventrem prodeunt. Sed tutius est in latus progredi: ita enim obstetricis manui locus datur, ut in caput aut pedes nascentem dirigat. At qui duplicati prodeunt, in pessimam figuram illapsi sunt, maxime si in coxarum vertebras deferantur. Tripliciter autem duplicari solent: nam vel capite et cruribus, vel ventre, vel coxarum vertebris, osculo uteri incumbunt; verum praestat ventrem incumbere, eo enim a nobis dissecto et interaneis exemptis, considente corpusculo facilis est figurae transmutatio." 1)

Partibus foetum excludentibus has inesse caussas: uteri orificium aut collum nimis parvum aut angustum, stricturas aut atresias genitalium (p. 105 et 119), situm colli uteri obliquum 2), inflammationem, abscessum aut indurationem harum partium, nimiam meningum foetum

---

quum se ipsum offert, et sic quidem aliquando, ut ne reprimi quidem possit." — Aetius, Aegineta, Avicenna idem statuerunt. — Recentissimo demum tempore quum varia ad pelvem metiendam instrumenta essent inventa, quibus ratio inter matris pelvem et caput infantis clarius perspiceretur, medicis contigit, ut facillime diversos situs capitis infantis accuratius finirent.

1. Mirandum est, quod hic ipse locus ab Aëtio (Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. XXII.) Asp. asiae assignatum fuerit.

2. Hippocrates pluribus in locis libr. de morbis mulier. lib. II., ita etiam in libr. de nat. puer. p. 565, 77, 78 etc. uteri obliquitatis mentionem facit, sed nusquam de difficili partu agit. — Moschion quatuor enumerat uteri devii species, cap. 141. p. 200. Quae apud Aetium Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. 77 et 22 de obliquitate uteri et de obliquo uteri collo leguntur, nihil aliud nisi ex Sorano translata sunt.

circumvolventium resistentiam aut tenuitatem [1]), liquorem amnii maturius defluentem [2]). Difficilem praeterea fieri partum lapidibus cysticis [3]), scyrrho, polypis et excrescentiis uteri, pelvis denique exostosibus. Ossificationem ligamenti symphyseos ossium pubis praecipuam etiam esse dystociae caussam [4]); in feminis enim hanc ossium conjunctionem non ut in viris harmonia sed ligamentoso fieri apparatu. Cavitatem lumborum (*καὶ παρὰ τὸ κοιλότερον εἶναι τὸν κατὰ τὴν ὀσφὺν τόπον*) caussam esse gravem dystociae.

---

1. Conf. Hipppocr. de superfoetat. Sect. III. p. 41, et de octim. partu Sect. III. p. 40 ed. Foës. — Moschion. cap. 150. — Paul. Aeginet. Lib. III. cap. 76. p. 187.

2. Conf. Hipp. Coac. praenot. N. 536. p. 205.

3. Conf. Mosch. „difficultas oritur, si in vesica calculus, vel si coacervata in colo scybala sunt.“ cap. 144.

4. De pelvis deformitate neque Hippocratem neque Galenum quidquam attulisse et ex Joan. Riolani oper. Francof. 1611. fol. Anatome Sect. II. p. 454, et Galeni de ossibus ad tirones, cap. XX. tom. II. p. 772, ed. Kühn, apparet. — Celsus primus ossa pelvis accuratius descripsit, idemque pelvim virilem a muliebri distulit, hisce verbis: „a quibus oritur os, quod pectinem vocant; idque super intestina sub pube transversum ventrem firmat: rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in foeminis, ne partum prohibeat.“ — Soranus primus de angustia pelvis deformatae et de nimia ejus cavitate sententias proposuit hasce: „*ἢ τῶν τῆς ἥβης ὀστῶν ἀλλήλοις συμπεφυκότων, ὡς μὴ ἰσχύειν ἐν τῷ τόκῳ διάστασιν δέχεσθαι· καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν γυναικῶν οὐχ ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀνδρῶν καθ' ἁρμονίαν συμπεφύκασι τὰ τῆς (ἥβης ὀστᾶ), ἀλλὰ σύνδεσμος ἰσχυρὸς ταῦτα πρὸς ἄλληλα συνδεῖ· καὶ παρὰ τὸ κοιλότερον εἶναι τὸν κατὰ τὴν ὀσφὺν τόπον, καὶ παραπιέζειν τὴν μήτραν.*“ „Et ossa pubis nimium conserta pariendi difficultatem faciunt, dum in partu dilatari non possunt: neque enim velut in viris, ita in mulieribus ossa pubis alternatim conseruntur, sed forti copula connectuntur; contingit item pariendi difficultas ob nimiam lumborum cavitatem uterum comprimentem.“ — Quae verba ante Soranum edit. Aetii esse putabantur; quae autem si cum Graecis Sorani comparantur, quin translata sint e nostro, dubitari non potest, nisi forte quis et Soranum et Aetium ex eodem hausisse fonte statuat. (Conf. Aet. Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. XXII.)

Postremo libri Herophili „περὶ νοσημάτων“ mentionem facit auctor.

CAPUT XXXV. *Quibus ex signis caussa dystociae dignosci possit.*

Esse caussas, quae facile dignoscantur, alias, quae minus sub oculos cadant. Animi igitur pathemata, syncopen, carum, lethargum facillime dignosci, quorum de singulis signis pathognomonicis in libro „περὶ ὀξέων“ 1) uberius a se esse disputatum dicit noster. Quae sit embryonis magnitudo e convexitate abdominis facile perspici. Plures adesse embryones, si convexitas non normaliter antrorsum appareat. Vivere adhuc embryonem, e doloribus parturientis, é calore vaginae etc.; mortuum vero e contrariis signis esse concludendum, praterea si sensus frigidus epigastrii ipsiusque embryonis, et si pars projacens colore sit nigrescente. Uterum affectum esse, et tangendo, et aliis huic similibus cognosci. Inter pariendum vero valetudinem feminae esse tentatam, e pulsu, ex respiratione et aliis signis judicari.

CAPUT XXXVI. *Quomodo dystociae subveniendum sit.*

Primum medicum sciscitari debere ex obstetrice, qui sit partus ipsius decursus, quae corporis parientis con-

---

1. Hujus libri Sorani titulus a nemine adhuc commemoratus est. Aliorum quoque operum nomina, quorum passim in libro suo mentionem facit a. adjicienda mihi videntur: „περὶ κοινοτήτων, de communitatibus [a]) (p. 23.), τὸ ὑγιεινόν, de re diaetetica (p. 27), περὶ ζωογονίας, de generatione (p. 43.)

---

a) „Sorani Ephesii de communitatibus libri memorantur a Caelio Aureliano. Ex hoc loco pariter efficitur, Soranum Menandri et Phoebes filium et Soranum Ephesium juniorem unum eundemque esse. cf. Fabric. Bibl. gr. XII. 684.“ (Soran. de morb. mul. p. 23.)

stitutio, qui caloris et frigoris gradus, quae lumborum amplitudo (κοιλία τῆς ὀσφυος), quae et amnii et uteri natura, quae denique animi pathemata etc. Tum demum ad ipsum auxilium praebendum aggredi medicum, nec tamen temere ad chirurgica confugiendum esse praesidia, neque obstetrici esse incaute uterum dilatandum [1]). Deinde singulae pro variis caussis indicationes enumerantur. Primo si major lumborum cavitas sit, parturiens in genua prona decumbat, id quod pinguibus quoque et carnosis sit observandum. Sin uteri orificium clausum sit, omnia genera emollientium adhibeantur medicaminum, inunctiones emollientes ex oleo calido, e decocto foeni Graeci, malvae, seminum Lini; injectiones dein emollientes, cataplasmata denique ad regionem pubis, ad epigastrium et lumbos. Quibus remediis si nihil profectum sit, parientes in sella leniter moveantur. Esse tamen, addit noster, qui conquassationes, scalarum ascensiones etc. commendent ad partum facilem reddendum, quas ipse tamen omnino repudiat. — Adhortetur medicus parturientes, ut dolores perferant, cum omnes, tum eas quae sint primiparae. Syncopticas medicaminibus roborantibus in vitam esse revocandas. — Si tumor genitalium caussa sit dystociae, qui exploratione detegatur, hic aut digitis amoveatur, aut chirurgico excidatur auxilio. (Hic leguntur varia tumorum genera: θύμος, κόνδυλος, σαρκὸς περίφυσις). — Faeces retentas clysmatum ope ex oleo etc. parat., urinam in vesica accumulatam catheteris applicatione esse removendam; lapides cysticos catheteris ope e collo vesicae ad ejus cavum esse movendos. Si chorion clausum caussa sit dystociae, digitis id esse disrumpendum, sin vero aqua amnii solito prius effluxerit, injectiones oleosas in vaginam esse faciendas. — Si capitis situs lateralis sit, manum sinistram oleo inunctam unguibus resectis immittat medicus et dirigat caput, ut obversum attingat orificium. Si vero caput stricte ori-

---

1. „Καὶ μήτε εὐθέως ἐγχειρεῖν τῇ χειρουργίᾳ, μήτε ἐπὶ πολὺ συγχωρεῖν τῇ μαίᾳ διασπαράττειν τὴν μήτραν.“ (p. 107.)

ficio coarctetur, et infantis et matris situ mutato removeatur caput. Parientem enim in dextro ponendam esse latere, si embryo in sinistro jaceat; in sinistro vero, si dextram occupet infans regionem; resupinus et declivis sit matris situs, si embryo magis ad lumbos versus jaceat, prona vero in genua decumbat, si foetus antrorsum et ad epigastrium versus positus sit. Si declinatio capitis una cum incarceratione incidat, foetum manu immissa sursum esse attollendum, sicque a primo loco remotum in alium eumque meliorem esse vertendum. — Si manus una projaceat, hanc non esse protrahendam, quia tum incarceratio exoriatur, sed foetum sursum attollendum, cubitum primo inflectendum, deinde manum extensam femori esse adducendam. Si ambae projaceant manus, iterum foetum digitis humeris applicatis sursum attollendum esse, cubitum flectendum, manus ambas extensas femoribus apprimendas et tum demum caput protrahendum esse. Sin autem manibus projacentibus caput tam sit exigui ambitus, ut idem cum ambabus manibus simul facile protrahi possit, hunc situm mutari non opus esse. — Nec si alter pes projaceat, hunc esse protrahendum, sed potius reponendum alterique pedi admovendum. Si vero ambo pedes projaceant, eodem quo in brachiis modo, sursum eos attollendos et dirigendos esse. — Si pedes in utero divaricati reperiantur, conjungendos eos esse et ad orificium ducendos. — Si genubus praeviis infans jaceat, hunc sursum esse attollendum et pedes protrahendos. — Natibus praevis pedes esse protrahendos[1]). — In situ transverso versionem embryonis esse faciendam

1. Hippocrates, quum partum clunibus praeviis timeret, infantes tales in caput vertendos esse monet: „qui vero conduplicantur foetus, inquit H., et in uterorum osculum incumbunt, eos sive vivos sive mortuos, retro protrusos iterum vertere oportet, ut in caput prodeant secundum naturam." De morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 183. ed. Foës. — Celsus omnium primus partum clunibus praeviis in agrippinum commendandum esse docuit, hisce verbis: „si clunes os vulvae urgere coeperunt, iterum retro repellendae sunt, conquisitusque

in caput vel in pedes[1]; idem si conduplicatus. Si plures embryones simul adsint, agendum esse ut in singu-

---

pes ejus adducendus." Lib. VII. cap. XXIX. Soranus noster eandem secutus est rationem, quae non solum a multis recent. temporibus obstetricantibus, a Guillemeau, Mauriceau, Smellie, Levret, Roederer, Boer et aliis adhibita sed sola una hucusque est probata.

1. Versionem in pedes primum a Celso esse commendatam, ab omnibus fere contenditur. Dicit enim ille: „medici vero propositum est, ut cum manu dirigat vel in caput vel etiam in pedes, si forte aliter compositus est. Ac, si nihil aliud est, manus vel pes apprehensus, corpus rectius reddit: nam manus in caput: pes in pedes eum convertit." Quibus vero omnibus non ex toto rem confectam et extra omnem positum fuisse dubitationem, ex eo elucet, quod quidem multi hujus loci interpretes, et nuperrime demum Buschius omne Celsi de hac artis obstestr. parte meritum denegaverunt. Haecce sunt Buschii ipsius verba: „Auf dieses Letztere bezieht sich nun auch die nach meiner Ansicht unrichtige Annahme, dass Celsus bereits die Wendung auf die Füsse gelehrt habe, indem hier offenbar anzunehmen ist, dass die Weisung, den Fuss zu ergreifen, sich nur auf den Fall bezieht, wenn ein Fuss in der Nähe ist, und übrigens die Wendung auf den Kopf empfohlen ist." Busch, die regelwidrigen Fruchtlager bei der Geburt, als Beitrag zur Lehre von der Wendung, in der gemeins. deutschen Zeitschrift für Geburtskunde. Band III. Heft 3. S. 581. — Quis autem est, cui perspicua illa et definita nostri doctrina de foetus versione in pedes ullam afferre possit dubitationem, qui legat: „*εἰ δὲ αὐτόθεν ἐπὶ πλευρὰν ἐσχηματισμένον ὑπάρχει, παρενείραντα τὴν χεῖρα πράως ἀνατρέπειν αὐτό· πλὴν ἀνίσου μὲν τοῦ πλαγιασμοῦ τυγχάνοντος κατὰ τὰ μᾶλλον ἀποκεκριμμένα τοῦ σώματος ἢ κατὰ τοὺς πόδας.*" Mirandum autem simulque dolendum est, quod haec inventa tam egregia et utilissima seriori tempore omnes obstetricantes omnino neglexerint et Hippocratem ex toto secuti sint, ita ut saeculo demum decimo sexto Pierre Franco [a]), Ambrosius

---

a) Pierre Franco. Ein Beitrag zur pragmatischen Geschichte der Geburtshülfe, mitgetheilt von Ed. v. Siebold in dessen Journal Bd. XII. St. I. p. 1.

lis. — Situm conduplicatum simplicem reddendum esse et tum versionem faciendam. — Quae vero omnia tranquillo animo et cauta manu esse peragenda[1]), ne quassentur partes atque ut infans integer in lucem edatur. Quibus autem manipulationibus, quae modo enumeratae sunt, si infantem protrahere non contigerit, ad graviora auxilia, ad embryulciam et embryotomiam confugiendum esse. Maxime autem matrem, etiamsi infans pereat, esse servandam[2]). (*Καὶ γὰρ εἰ τὸ κυηθὲν διαφθείρει, τὴν κυοφοροῦσαν τηρεῖν ἀναγκαῖον*).

CAPUT XXXVII. *De embryotomia et embryulcia.*

Primum in statum parturientis inquirendum esse medico; tum necessaria ad operationem esse praeparanda.

Paraeus [a]), Guillemeau [b]) hanc versionem in pedes revocaverint. Postea de hac re optime meruere Mauriceau [c]). de la Motte [d]), Smellie [e]) et Stein. sen. [f]).

1. „Πάντα δὲ ποιεῖν ἠρέμα καὶ ἀπεριθλάστως" etc. (p. 112.)

2. Soranum in certis dystociae casibus, ubi celerrima ope matris saluti subveniri fuisset indicatum, infantis vitae non pepercisse, ex his satis elucet, quum vero Celsus nonnisi in mortuis excerebrationem perficiendam

---

a) Ambros. Paraei oper. chirurg. Lib, XXIII. Cap. XXVI. „De foetus tum vivi tum mortui chirurgica ab utero extractione," p. 682.

b) Guillemeau. De la grossesse et de l'accouchement des femmes. Liv. II. chap. 23 et seq.

c) Mauriceau. Traité des maladies des femmes grosses. Paris 1683. 4. Liv. II. chap. 22. p. 268 et 69.

d) De la Motte. Eine historisch-kritische Revision v. W. J. Schmitt, in Ed. v. Siebold's Journal. Bd. I. St. I. p. 1.

e) Smellie, theoret. und prakt. Abhandlung von der Hebammenkunst. Aus dem Engl. übersetzt von Joh. Ernst Zeiher. Altenb. 1755. 8. Bch. III. cap. IV. Abschn. IV. p. 364.

f) G. W. Stein, praktische Anleitung zur Geburtshülfe. Marburg 1797. 8. cap. VII et IX. p. 57 et 75. —

Parturientem in lecto supinam jacere et declivem, cruribus divaricatis, pedibusque natibus attractis; in utroque ejus latere feminas peritas et robustas ad parientem sustentandam adstare, quae si non adsint, vinculo quodam parturientem lecto esse alligandam, ne quum tractiones in embryotomia peragantur, mulier una cum foetu protrahatur. Medicus locum aliquantum humiliorem occupet inter feminae femora, tum manum sinistram acuminatam, oleo inunctam in uterum immittat, si quidem orificium sponte sit apertum; quod si autem non sit, oleosis injectionibus contractionem esse superandam. Tum in foetu locus eligatur, qui embryulco facile perforetur. Tales locos esse: oculos, os, claviculam, praecordia, locum supra pubem, etc., sed nullo modo axillam et meatum auditorium; si autem nullus eorum inveniatur, alium qualemcunque esse perforandum.

Operationem ipsam sic esse peragendam. Instrumentum tractorium, (Ἐμβρυοῦλκος) oleo calido illitum manu dextra teneatur, ejusque curvatura (κάμπη, uncinus ab Aetio translat.) digitis obtecta sinistra manu introducatur et illis locis jam supra commemoratis, infigatur. Simul autem alterum instrumentum ad alium corporis locum, priori oppositum esse applicandum, ut tractus recta et non obliqua perficiantur directione. Tum vi aequali et assidua tractionem esse faciendam, digito dextre inter uteri orificium et partem corporis infantis immisso et circumducto. Si embryo non uno tractu protrahatur, sed paullatim tantum, primus embryulcus in locum supra jacentem applicetur, eodem modo etiam secundus usque ad perfectam infantis extractionem. Pedes protensos simili modo, quum corpus reliquum consequi non possit, ab inguinibus esse resecandos. Brachio vero protenso, hunc nisi sit reponendus, aut si foetus jam mortuus sit, ab humero resicandum esse. Ambobus autem brachiis

---

statuit, his quae sequuntur verbis: „ubi concepit autem aliqua, si jam prope maturus intus emortuus est, neque excidere potest, adhibenda curatio est.“ Lib. VII. cap. 29. — Conf. huj. dissert. cap. III. —

projacentibus, hosce nisi sint reponendi, ambos ab humero resecandos esse. Si caput nimio ambitu aut natura aut aqua accumulata, ut in hydrocephalo, incarceratum sit, embryotomo aut cultro polypico utendum esse ad ejus partes incidendas, quem ad finem ossa bregmatis maxime esse eligenda. Quod si hoc modo non extrahatur, forcipe dentario (ὀδόνταργα dicitur) ossa capitis perscindenda et imminuenda esse. Si vero capite jam perforato propter humeros reliquum corpus sequi non possit, partes singulas a corpore resolvendas, abdominisque contenta dissecando removenda esse. Situm conduplicatum, nisi in alium commutari possit, embryotomiam etiam requirere [1]). Postremo status pathologici hac ope-

---

1. Jam inter omnes constat, embryulciam et embryotomiam in numero esse operationum crudelissimarum et audacissimarum. Nec tamen hoc ipsi artifici sed arti vitio est dandum. Ideoque non est quod mireris, veteres, leviter tantum doctrina anatomica et physiologica et obstetricia imbutos, toties ad hanc embryonis dissectionem confugere coactos fuisse, praesertim quum, ut supra dictum, infantes omnes male positos, qui nullo artis auxilio alio converti poterant, mortuos esse putarent. Nihilominus vero rem ipsam veteribus crudelissimam acerbissimamque visam fuisse, Tertullianus ostendit loco, quem hic afferre eo digniorem putavi, quum de nostri ipsius mitiori agendi ratione argumentum exhibet evidentissimum. „Atquin, inquit Tert., in ipso adhuc utero infans trucidatur necessaria crudelitate, cum in exitu obliquatus denegat partum, matricida ni moriturus. Itaque et inter arma medicorum et organa sunt, quo prius patescere secreta coguntur tortili temperamento, cum anulo cultrato, quo intus membra caeduntur anxio arbitrio, cum hebete unco, quo totum pecus attrahitur violento puerperio. Est enim aeneum spiculum, quo jugulatio ipsa dirigitur caeco latrocinio: ἐμβρυορέκτην appellant de infanticidii officio, utique viventis infantis peremptorium. Hoc et Hippocrates habuit et Asclepiades, et Erasistratus, et majorum quoque prosector Herophilus, et mitior ipse Soranus, certi animal esse conceptum, atque ita miserati, infelicissimae hujusmodi infantiae, ut prius occidatur, ne viva lanietur. De qua sceleris necessitate, nec dubitat credo Hicesius, jam natis animam superducens ex aëris frigidi

ratione provocati, uti inflammationes, haemorrhagiae etc., simul etiam eorum medicamina exponuntur. — Denique Sostrati cujusdam mentio fit.

---

pulsu, quia et ipsum vocabulum animae penes Graecos de refrigeratione respondens." (Tertull. de anima. cap. XXV.). Idem si animo praesagivisset, ne multis quidem saeculis post, quibus multa nova jam erant inventa cognitaque accuratius perspecta, contigisse, ut hac crudeli operatione repudiata leniora eademque meliora instituerent, profecto non tam acerbus sui temporis judex exstitisset. Nam quum saecuto XVI. versione in pedes resumta et postea forceps a Palfyn esset inventus, nonne crederes, aut nunquam aut rarissime tantum in hac operatione perfugium habituros esse medicos. Sed si animo reputamus, quae a Deischio [a]) et Mittelhaeusero [b]), eaque, quae ab Osborn [c]) et Davis [d]), Anglis, ad foetus in utero aptissime dissecandum et corrumpendum fuerint proposita, facile confitebimur, veteres de crudelitate in hac operatione exercenda tam graviter non esse reprehendendos. Quin imo ne hodie quidem Angli ab illo veterum more recesserunt, qui voluptate quadam ad hanc operationem ducti videntur, id quod maxime ex Roberti Collins [e]) libro perspicue intelligitur.

Ut autem rationem operandi apud veteres usitatam

---

a. Jo. Andr. Deisch, Vermehrte und in der Erfahrung gegründete Abhandlung, dass weder die Wendung, noch englische Zange in allen Geburtsfällen vor Mutter und Kind sicher gebrauchet und dadurch die scharfen Instrumente gänzlich vermieden werden können. Frankf. u. Leipz. 1766. 8.

b. Joh. Dan. Mittelhäuser, practische Abhandlung vom Accouchiren, in welcher die Instrumente, die dabei zu gebrauchen sind, nebst der Art und Weise, wie sie bei verschiedenen schweren Geburten sind angewendet worden u. s. w. aus vieljähriger Erfahrung angezeiget und beschrieben worden. Leipz. 1784. 8.

c. Osborn, essays on the practice of midwifery. London. 1792. 8.

d. Davis, Elements of operative midwifery. Pl.XVII, XVII, et XIX.

e. A practical Treatise on midwifery, containing the resultat of sexteen thousand six hundred and fifty-four births, occurring in the Dublin Lying—in Hospital during a period of seven years, commencing Novmb. 1827. Lond. 1833. 8. p. 31.

CAPUT XXXVIII. *De praeparatione ad embryulcium.*

Primo medicamenta analeptica praeparanda esse ad lipothymiam praecavendam, tum medicum speculi uteri

---

accuratius perlustremus, ab Hippocrate repetamus. „Caput, inquit H., gladiolo dissectum, instrumento, quod confringat (πίεστρον dicitur) comminuitur, et ossicula per ossium volsellam extrahito, aut unco attractorio ad claviculam uti firmiter adhaereat immisso, non confestim, sed paulatim remittendo et rursus adurgendo extrahito.“ De morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 183 ed. Foës. — Distinctius jam Celsus uncos eorumque usum exposuit, qui iis similes videntur, qui postea a Paraeo, Guillemeau, Mauriceau, Levret, Smellie et Davis commemorantur. „Undique laevis, acuminis brevis, inquit Celsus, qui vel oculo, vel auri, vel ori, interdum etiam fronti recte injicitur etc. — nam si compresso vulvae ore id tentatum est, non emittente eo, infans abrumpitur, et unci acumen in ipsum os vulvae delabitur, sequiturque nervorum distentio, et ingens periculum mortis“ (Lib. VII. cap. XXIX.). — Jam si ea comparamus, quae a Sorano et de indicationibus et de ipsa operandi ratione referuntur cum Celsi de eadem re praeceptis, jam systematicam quandam rationem illum secutum esse invenimus, praesertim quum pro variis dystociae caussis versio in pedes certis quidem indicationibus multifarie ab eo esset adhibita. Quum ars igitur sic esset exculta, Soranus jam majorem instrumentorum apparatum describere potuit, quae hic singula enumerare mihi liceat:

a) Ἐμβρυοῦλκος, uncinus attractorius curvatus, (τὴν καμπὴν δε ἀυτοῦ — τοῦ ἐμβρυοῦλκου — τοῖς δακτύλοις κρύψαντας.).

b) Ἐμβρυότομος, scalprum, ad caput incidendum.

c) Ὀδόνταγρα, forceps dentarius.

d) Ὄσταγρα, forceps ossarius, ad ossa perscindenda.

e) ῥίζαγρα, ad ossium assulas extrahendas.

f) σκολοπομαχαίριον, cultrum aculeatum, ad cranium perforandum et evacuandum (conf. Crantz de re instrumentaria p. 11).

g) σπάθιον πολυπικόν, scalprum ad caput dissecandum.

h) σμίλιον, scalpellum ad eundem finem adhibit.

Praeter haec ad embryotomiam adhibita instrumenta adhuc inveni commemorata:

i) ἀγκίστρον, uncus attractorius ad tumores attrahendos, volsella ab Aetio nominatus.

k) μήλη, specillum, jam ab Hippocr. commemorat., a

ope[1]) explorare oportere, num forte tumores, exostoses etc. insint, qui unco apprehendendi et polypotomo exsecandi sint. Si uteri os membrana percludatur, hanc cultro resecandam esse; si foetus velamenta crassiora sint, quam ut rumpantur, unco arripienda et scolopomacheirio incidenda esse. Capite praevio incarcerato versionem in pedes faciendam esse: „τῆς δὲ κεφαλῆς τοῦ ἐμβρύου ἐσφηνωμένης, μετασφέρειν δεῖ ἐπὶ πόδας καὶ οὕτως αὐτὸ κομίζεσθαι“[2]). Si autem caput nullo modo retrudi pos-

---

Foësio ita descriptum: „specillum significat et instrumentum chirurgicum, cujus varius est usus.“ v. Foës. oeconom. sub verbo μήλη.

Quorum instrumentorum alia ab Aetio alia a Paulo Aegineta primum commemorata esse hucusque putabantur. Prae ceteris vero Albukasis armamentarium obstetr. valde auxit (de affect. mulier. VII. Spachium p. 446. 47. et seq.). Post ejus autem tempora nulla accesserunt rei instrumentariae incrementa usque ad XVI. saeculum.

Conf. Io. Hadr. Slevogtii Prolusio de embryulcia Hippocratis. Jenae 1709.

Aug. Christ. Langbein Specimen embryulciae antiquae ex Q. Septim. Flor. Tertulliani Lib. de Anima. cap. XXV. Hal. Magdeburg. 1754. 4.

Saxtorph Examen Armamentarii Lucinae etc. Havniae. 1795.

1. Locus hic ideo mihi summi momenti esse videtur, quod inde apparet, instrumentum recentissimis temporibus ubique usitatum jam a veteribus ad eundem finem eodemque modo adhibitum fuisse; eamque ob caussam totum locum huc transcribendum duxi: „Ὁ δὲ χειρουργὸς διὰ τῆς διόπτρας πρότερον κατανοήσας, ὁποῖόν ἐστι τὸ δυστοκίας αἴτιον, οἷον θύμων, ἐκφύσεις ἢ τυλώδεις ὑπεροχαὶ ἢ ἕτερόν τι τῶν προειρημένων, ταῦτα τῷ ἀγκίστρῳ ἀνατείνοντα etc.

2) „At si caput foetus locum obstruxerit, in pedes vertatur, atque ita educatur.“ Quae verba gravissima hucusque Aetio auctore Philumeni esse putabantur. conf. Aet. Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. 23.

sit, uncinum attractorium aut oculis aut ori, ut sic caput extrahatur, infigendum esse. Caput vero nimis magnum dissecandum esse cultro polypico (σπάθιον πωλυπικόν aut scalpello (σμίλιον dicitur). Ossa si sint protensa ostagrae aut rhizagrae ope extrahenda esse. Sin autem caput jam ex utero emissum sit, propter humeros vero reliquum corpus sequi non possit, caput a trunco separandum esse. — Embryotomia facta, omnes foetus partes singulas colligendas et componendas esse, ut pro certo sciri possit, nullam embryonis partem in uteri cavo adhuc relictam esse. Paullo post secundinas esse removendas. —

CAPUT XXXIX. *Cura post embryotomiam.* [1]

De diaetetica cura praecipue hic agitur. Operatione finita, femora divaricata conjungenda esse, partes genitales internas decocto malvae, foeni Graeci oleique calidi injiciendas, regionem pubis et lumbalem oleo calido inunguendam lanaque molli oleo tincta obtegendam etc., interne nutrimenta mucosa et potum aquosum praebenda esse. Quae tamen tum esse facienda, quum purgatio normaliter fluat; quum vero purgatio non sufficiat, insessus ex decocto foeni Graeci, artemisiae, althaeae etc. adhibendos et Decoct. hordei pro potu sumendum esse. Quum purgatio nimis larga sit, medicamina adstringentia, cataplasmata, injectiones, nutrimenta ex adstringentibus parata offerenda esse. — Inflammatione intrante methodus antiphlogistica, et in haemorrhagia commendantur anthaemorrhagica.

CAPUT XL. *Prolapsus uteri post embryotomiam.*

A definitione prolapsus uteri ad singulas ejus caussas explanandas procedit a., quarum in numero habet

1. Conf. Aet. Tetrabibl. IV. Serm. IV. cap. 25.

rupturam ligamentorum uteri, vehementiores ad placentam removendam tractiones, praecipue in partu praematuro, embryulciam ab imperitis factam, vulnerationes omnium generum, animi pathemata, debilitatem quum totius corporis tum musculorum, relaxationem denique ac paralysin uteri earumque quibus cingatur partium. Haec esse symptomata. Sub initio morbi haemorrhagiam intrare, dolorem dein in abdomine, in inguinibus praecipue, in epigastrio et pudendis, nonnunquam spasmum. Hippocratis, Herophili aliorumque sententiae afferuntur. — Quod therapiam attinet, Euryphonis, Euenori, Dioclis et Stratonis methodi commemorantur quidem, sed rejiciuntur. Deinde exponit a., quae ipse sentiat. Si sanguis ex utero profluat, sine inflammatione, epithemata frigida ex aqua et oxycrato in uterum esse facienda, tum repositionem instituendam esse (ἁρμόζειν). Post repositionem perfectam spongiam aut lanam oxycrato tinctam in vulvam immittendam esse pedibus ligamento conjunctis et extensis, regione coxali vero supposito pulvinari elevata. Post tres dies novas immitti spongias. Etiam externe ad epigastrium aut ad pubem spongias oxycrato aut vino tinctas ponendas esse. Praeterea insessus et decoct. myrthae, masticheṡ, sidii etc. commendantur. Cibos esse leves et simplices. Faeces accumulatas clysmatis ope removendas esse. Si vero inflammatio accesserit, hanc esse medicaminibus emollientibus vincendam. Si laxitas aut paralysis caussa sit prolapsus, adstringentia ex poma Cidoniae etc., aut pessos ex nitro et aliis paratos in vulvam immittendos esse. Thessalum Aloë et nitrum in usum vocare. — Si uterus prolapsus vero nigri sit coloris aut totus aut ejus pars, eadem quae in noma in usum esse vocanda medicamina; quae si nihil proficiant, partem nigrefactam abscidendam esse, ut in hepate aut pulmone prolapso et gangraenoso fieri soleat. Sin vero uterus totus sit prolapsus, totum etiam esse abscidendum, quia tum et bonus et faustus evadat corporis status.[1]) Si uterus exul-

1. „Μελανθείσης δὲ αὐτῆς ἀπὸ μέρους διὰ τὸ ἔξω μεῖναι πλείοσι χρόνοις, καὶ εἴ τινες συνιστοροῦσι συμβιῶσαι μέχρι παντὸς εἶναι τὴν μήτραν προπεπτωκυῖαν,

ceratione cum partibus adjacentibus coaluerit, cultro hanc conjunctionem praeternaturalem esse dirimendam.

CAPUT XLI. *De umbilici discisione.*[1])

Funiculum umbilicalem scalpello (*σμίλιον* dicitur) quatuor digitorum spatio ab infantis ventre discidendum

---

τοῖς πρὸς νομὰς χρηστέον· εἰ δὲ μὴ καὶ ἀποτμητέον τὸ μελανθὲν, εἰ καὶ λοβὸν ἥπατος ἢ πνεύμονος ἀποτέμνομεν κατὰ τὴν πρόπτοσιν μελανθέντα. Κἂν ὅλη μελανθῇ, τὴν σύμπασαν ἀποτμητέον. οὐ μόνον διὰ τοὺς ἱστορήσαντας αὐτὴν ἀκινδύνως ἐκτέμνεσθαι, ὧν ἔμπροσθεν ἐμνημονεύσαμεν, ἀλλ' ὅτι τὸ ἀποκοπτόμενον οὐκέτι κύριόν εστι μέρος, ἠλλοτριωμένον δὲ σῶμα καὶ ἀνοικαίον.“—Quae in hoc cap. a Sorano de diagnosi, indicationibus et therapia prolapsus uteri proponuntur, tam sunt egregia, tamque utilia, ut nostri eadem quoque ratione utantur. Qui summus vir etiam de uteri exstirpatione tam confidenter loquitur, ut ab ipso hanc operationem esse institutam putes, nihilominus eum potius tale quid ex animalium dissectionibus statuisse existimem.

1. Umbilicum discidere apud veteres majoris erat momenti, ita ut proprium nomen ex hac ipsa re invenirent obstetrices, *ὀμφαλοτόμων* [a]) nempe, et ars ipsa *ὀμφαλοτομίας*. Ita Aristoteles: „quemadmodum secundus sit umbilicus, pars est non imprudentis cogitationis obstetricum. Neque enim sola dexteritate opus est, ut juvare possint mulieres quae aegre pariant, sed etiam praesenti animi vi, ad ea quae evenire queunt: et ad umbilicum infantium vinciendum.“ Aristot. hist. animal. Lib. VII. cap. XII. edit. Jul. Caes. Scaliger. Tolosae. 1619. fol. pag. 841. — Rarius tamen duas fecerunt ligaturas antiqui, quum infantem una cum placenta extrahere solerent; placenta vero in utero adhuc relicta duae ligatu-

---

a) „*ἡ ὀμφαλοτόμος — τὸν ὀμφαλὸν τοῦ παιδίου πρόσθεν ταμοῦσα*“ — Hippocr. de morbis mulier. p. 672. ed. Kühn.

esse. Cui rei efficiendae obstetrices clavum, calamum, corticem panis durum aliasque res acutas adhibuisse narrat a., quam tamen rationem propter contusionem inde nascentem omnino rejicit. Finem autem funiculi filo adstringendum esse; ligaturam idcirco esse necessariam, ne haemorrhagiae periculum oriatur, cum et sanguis et pneuma e matris corpore in infantis corpus transeant. Fuisse etiam, qui adurerent umbilicum („διὰ δαυλοῦ θερμωθέντος ἢ διὰ τοῦ πλατέος τῆς μήλης"). Placenta vero in utero adhuc remanente duas ligaturas funiculo applicandas esse, quem medium esse persecandum, ut hisce ligaturis constringentibus prohibeatur, quominus haemorrhagia aut matris aut infantis fiat. Omphalotomia peracta a Germanis, Scythis, multisque Grae-

---

rae, ut ex nostro vidimus, applicabantur, ne haemorrhagia aut matris aut infantis oriretur. Moschion vero haec de eadem re proponit: „sed eadem ipsa hora, qua natus est, ex utraque parte deligetur, sicque per medium secetur, ne quae peperit ipsa haemorrhagiam sustineat. cap. 65. p. 142. Quae methodus postea quoque usque ad recens tempus reservata est, quo unam tantum ligaturam adhibebant obstetricantes, rati anastomosin inter matrem et placentam non esse eam, ut, si una tantum ligatura applicata esset, haemorrhagia intraret. Quo autem tempore funiculus umbilicalis sit dissecandus, ex Hippocratis loco apparet: „muliere aegre parienti, si foetus in naturalibus locis haereat, neque facile exeat, sed cum labore, neque sine medici ope hujusmodi foetus cum pauci sint temporis, his non ante abscindendus umbilicus, quam urinam reddiderint, sternutarint, aut vocem ediderint, sed sinendi sunt." Hippocr. de superfoetat. ed. Foët. Sect. III. p 43 — Quam rationem recentiores etiam obstetricantes sunt secuti, ut qui censerent, circulationem infantis languentem et sanguine a matre affluente et uteri calore revocari et incitari. Simile quid ab Aristotele hisce commemoratur: „saepe autem factum est, ut videretur nasci infans mortuus: cum eo infirmo in umbilicum, ac partes circumsitas efflueret sanguis priusquam ligaretur. Verum artifices cautae cum factae essent quaedam obstetrices, expressere intro ab umbilico. Ac statim infans quasi prius exsanguis rursus revixerit." Aristot. histor. animal. Lib. VII. cap. XII. p. 841.

corum infantes ut roborarentur in aquam frigidam immersos esse, eosque, qui id non sustinuissent, vita indignos esse judicatos. Alios in vino,[1]) urina pueri sani (παιδὸς ἀφθόρου) etc. infantes lavasse. Quibus vero rejectis balnea tepida sale mixta[2]) commendat Soranus.

---

1. Plutarch in vita Lycurgi (ed. Reiske vol. I. p. 197) eandem rationem Lacedaemoniorum lavandi enarrat.

2. conf. Ed. v. Siebold. histor. art. obst. §. 11. p. 43.

Corrigenda et addenda.

Pag. 8. lin. 2. l. optimum leg. optimam. — ibid. lin. 24. l. VII leg. XIII. — p. 9. lin. 9. subjectum, suprapositum leg. subjectam, suprapositam. — ibid. lin. 24. l. de Sorano leg. de Sorani arte obstetr. — ibid. lin. 28. scriptis adde (a Jacob. Goupylo Paris 1554 edit.) — p. 15. lin. 40. l. magis ad morbos leg. magis morbos. — p. 19. lin. 30. l. ducti leg. ductos. — p. 22. lin. 13. l. interna leg. interno. — p 28. lin. 34. l. ius leg. hujus. — p. 32. lin. 20. l. femina leg. feminae. — p. 37. lin. 3. l. posit leg. possit. — ibid. lin. 14. l. ortam leg. ortum. — p. 39. lin. 12. leg. ut nostris quoque. — ibid. lin. 26. l. multorumque leg. multarumque. — p. 43. lin. 2. l. *σχολίαν* leg. *κοιλίαν*. — p. 44. lin. 7. l. nimis leg. minus. — p. 49 lin. 15. l. positum leg. positam. — ibid lin. 35. post *πόδας*". adde (Conf. etiam huj. dissert. pag. 43. lin. 3. „*εἰς τὸ μετασχηματίσαι ἢ ἐπὶ κεφαλην ἢ ἐπὶ πόδας*".) — p. 51. lin. 34. l. resicandum leg. resecandum. — ibid. lin. 38. l. cap. III. leg. cap. XXIX. — p. 52. lin 7. l. *ὀδόνταργα* leg. *ὀδόνταγρα*. — p. 57. lin. 22. l. et decocto leg. ex decocto. — p. 58. lin. 19. post existimem adde (cf. cap. III. p. 10. huj. dissert.)

B